Digitized by Google

5 · 9. 213

Digitized by Google

S 9.213

ORATIONES
JOSEPHI RINALDI
IN
SEMINARIO PATAVINO
STUDIORUM PRÆFECTI

De quibus vide Indicem
pag. ult.



PATAVII, Typis Seminarii. MDCCXLVI.
Apud Joannem Manfrè.
SUPERIORUM PERMISSU.

Eminentiſs. ac Reverendiſs.

CAROLO

CARD. REZZONICO

EPISC. PATAV.

JOSEPH RINALDI

F.

NOli mirari, PRINCEPS EMINENTISSIME, quod ego Tibi ex diuturna laborioſiſſima Diœceſis tuæ luſtratione redeunti, inter ipſa gratulantium officia occurrere auſim

Digitized by Google

cum hoc Opuſculo litterario, Teque nihil tale expectantem a tot tantarumque rerum graviſſima cogitatione ad curam tam levem repente advocare. Præſens enim negotium, ſi tantiſper examinaveris, & ipſum per ſe grave eſt, & ab eo, in quo tua ſeſe admirabilis virtus & pietas nuper exercuit, minime alienum. Quid enim volebas, EMINENTISSIME PRINCEPS, cum per hos moleſtiſſimos ſolſtitiales dies, nullo incommodo retardatus; longe lateque fuſum Patavinum Gregem præſentia tua maxima-

rum

rum omnium virtutum ſplendido comitatu ſepta recreares; quid inquam, volebas, & quam potiſſimum voluptatem tamquam laborum tuorum mercedem & fructum efflagitabas, niſi ut ejus curæ ac tutelæ tales Paſtores paſſim præpoſitos invenires, qui optimis diſciplinis a pueritia diligenter exculti, alerent eum foverentque quam ſtudioſiſſime cęleſti doctrina, Tibique de omnium ſalute ſupra hominum fidem anxio & ſollicito, lætam ubique virtutum ſegetem exhiberent? Jam ad quem alium, niſi

ad

ad eumdem hunc finem, quamquam non eadem ratione & via, hæ qualeſcumque Lucubrationes meæ nituntur ac tendunt? certe ad eorum in primis inſtitutionem elaboratæ, qui, Te auſpice, aluntur in ſpem Eccleſiæ, & a quibus Religio præſidium, Parœciæ ſplendorem, Cathedræ dignitatem, omnia denique Patavina Sacra commodum aliquod & ornamentum expectant. Itaque caſu accidit valde opportuno, ut e domeſticis latebris, unde præ verecundia diſcedere non audebant, in tuam fidem & pa-

tro-

trocinium concedant hoc potiſſimum tempore, quo maxime vides, quantum pro modulo ſuo & facultate conferre poſſint ad eam rem, in qua curarum tuarum & contentionum ſumma conſiſtit. Accipe has igitur æquo animo, PRINCEPS EMINENTISSIME, & publicæ lucis periculum timide ſubeuntibus, auſpicium tuum, nomen, auctoritatem eo libentius largire, quo benignius paterna illa planeque tua charitate eam Juventutem amplecteris, cujus gratia evulgantur. Vale.

AD LECTOREM.

SEquor Majorum exemplum, & quam provinciam præclaris ingenii monumentis illuſtratam ab ipſis accepi, eam pro virili a ſilentio ſaltem & oblivione vindicandam ſuſcipio. Anceps profectò & lubricum eſt, in hoc litterarium certamen poſt tales Viros deſcendere; ſed tamen glorioſum, cum illos conſequi nequeam, ſubſequendi curam & ſpem non abjicere. Cur autem abjiciam, eorumque nomine & fama deterritus, ſapientum Virorum judicio non recreer? qui tot mihi ſtimulos admovent ad audendum, ut ne liberum quidem ſit, ſine pervicaciæ nota, diu-

tius

tius reluctari. Morem igitur illis gero, & quas Orationes in exiſtimantium arbitrium venire nolebam, iis tandem auctoribus, in lucem emitto. Supereſt, ut nec illos conſilii, nec me obſequii pœniteat. Utcumque res cadet, nunquam certe me pœnitebit, quod utilia dixerim, quod loco, quod tempori, quod ei denique Juventuti, cujus inſtituendæ cauſa dixerim, maxime accommodata. Quo modo autem dixerim, quo ſtilo, quo numero, qua elegantia, qua gravitate, viderit is, qui integro animo & vacuo ad rem cognoſcendam accedet. Ego hoc unum profiteor, me diligenter curaſſe, ut quæ virtutes & ornamenta in Oratore ineſſe maxime debent, ea ab his Orationibus quam minime abeſſent; ut ſi ipſæ aliis exemplo eſſe non poſſint, ſaltem non longo intervallo exemplum ſecutæ videantur.

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. Fra Paolo Antonio Ambrogi Inquiſitore Generale del Sant' Offizio di Padova*, nel Libro intitolato: *Orationes Joſephi Rinaldi S. Theologiæ Doctoris, & in Seminario Patavino Studiorum Præfecti*; non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Gio. Manfrè Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li primo Giugno 1746.

(
(*Gio. Alviſe Mocenigo II. Rif.*
(*Giovanni Querini Proc. Rif.*

Regiſtrato in libro a Carte 28. al n. 218.

Michiel Angelo Marino Segr.

Regiſtrato al Magiſtrato Eccellentiſſimo contro la Beſtemmia.

Franceſco Gadaldini Segr.

DE

DE LINGUA LATINA.

ORATIO I.

Latine ſcire & per ſe magnum eſt, &, ſi negligatur, magnis rebus locum eſſe non ſinit.

QUonam fieri meo fato dicam, ut locus hic ornatiſſimus, qui ſemper antea præſtantibus tantum ingeniis patuit, me hoc tempore, rudem hominem & indiſertum, depoſcat, & nolentem reluctantemque ex umbratili palæſtra, in qua tutus deliteſcebam, in mediam oratoriam aciem repente compingat? Oderit quidem latebras & ſilentium ſiquis vult, & publica luce ac frequentia mirifice delectatus, ſplendidam hanc dicendi exercitationem glorioſiſſimis quibuſque rebus & jucundiſſimis ad animi ſui fru-

ctum & voluptatem anteponat. Mihi certe hujuſce dignitatis ſplendor oculorum aciem non ita perſtringit, ut ſatis clare non videam, quam miſerum ſit, ad hoc tam illuſtre certamen totius rei noſtræ litterariæ auſpiciis ſolemnibus conſecratum, me potiſſimum, qui cum ceteris ducibus tot tamque inſignium palmarum gloria florentibus minime ſim comparandus, præſertim tam ſubita denuntiatione tamquam tumultuarium militem evocari. Itaque in tanta animi ſollicitudine, tamque vere candideque ſuſcepta, minime neceſſe eſt, ut initio dicendi, pro veteri quodam more inſtitutoque oratorum, metum mihi trepidationemque confingam, quo facilius orationi meæ non laudem aliquam, ut illi ſolent, ſed quod unum mearum virium infirmitas poſtulat, veniam parem. Quamquam, ſi ego animum tantiſper avocem a meipſo, poſſumne illa veluti ſigna, quæ in hoc diſcrimine mihi ad fiduciam paſſim erecta ſunt, intueri, quin ad aliquam ſpem, quaſi recepto ſpiritu, ſubito aſſurgam? Hæc enim Ampliſſimi Præſulis plena majeſtatis frons atque vultus; hæc Virorum totius Civitatis principum corona tam ſplendida; hæc Litteratorum hominum frequen-

quentia & celebritas tanta, quamquam graviſſimi judicii ſpeciem exhibent omnium oculis; attamen, neſcio quo pacto, id afferunt oratori, ut præſidium ſibi potius exiſtimet, quam periculum undique denuntiari. Hic vero conſpectus ingenuorum Adoleſcentium, quorum gratia inſtitutum eſt hoc certamen, adeo minime formidoloſus mihi dicenti occurrit, ut trepidantem diffidentemque mirum in modum recreet, nec ſolum hortetur, ut quieto, ſed etiam ut magno animo in acie conſiſtam. Quare comprimam aliquando metum, ipſaque erectus audendi neceſſitate, litterariam hujuſce Juventutis inſtitutionem pro virili parte adornandam ſuſcipiam, & quanta potero diligentia contendam, ut in exploranda conſtituendaque ratione optimæ diſciplinæ, fateantur omnes, quidvis mihi potius, quam fidem, curam, & voluntatem defuiſſe. Hujus autem inſtitutionis exordium undenam capere melius poſſim, quam a Lingua Latina, hoc eſt ab ea re, in qua tota moles nitatur litterarii ædificii, quæque omnium operum, quæcumque progreſſu temporis ſuperſtruantur, faſtigia ſuſtentet? Faxint propitii Superi, ut in jaciendo hoc fundamento Adoleſcentes noſtri,

me hortante maxime , ſic elaborent , ut felicibus orſi initiis, magna ſpe progredi ad alia poſſint , & a me ſtudiorum ſuorum moderatore atque duce majora in poſterum , & loci hujuſce amplitudine magis digna poſtulare. Interim tamen , ne præſens negotium quaſi leve quiddam & parum frugiferum forte contemnant , in hanc veriſſimam opinionem eos conabor adducere , ut credant , ipſum latine ſcire in magnis rebus ponendum eſſe ; tum eſſe ejuſmodi, ut , ſi negligatur, magnis illis rebus , quæ deinceps addiſci debeant , locus eſſe non poſſit. Quod dum exequor , adeſte æquo animo , Viri ornatiſſimi , & facite , ut ſentiam, me utilia huic Juventuti dicere inſtituentem, ſtudio & favore veſtro adjuvari.

Ex omnibus Linguis , quas integerrimas olim & florentiſſimas lethifera quædam vis jam extinxit, nulla eſt , Auditores, quæ renata quodammodo & recreata erexerit ſe tam feliciter , quam Latina. Hæc principis terrarum Populi quondam propria , quamquam everſo Romano imperio , tamen in omnibus fere gentibus viget , nulliſque certis regionibus circumſcripta tam longe lateque diffunditur , ut immenſis tantummodo litterariæ

rei-

reipublicæ terminis definiatur. Nullæ ſunt uſquam Academiæ, nulli doctorum hominum cętus, nulla gymnaſia, ubi jure quodam ſuo non conſiſtat, tanta cognatione cum bonis artibus & diſciplinis conjuncta, quantam variis temporibus eadem utrobique fortuna indicavit. Neque enim in illa exitiali Barbarorum irruptione concidere Latinitas potuit, quin omnes omnino litteræ eadem clade interirent; nec iſtæ, reddita Italiæ pace, excitari potuerunt, quin ea continuo renaſceretur, & una cum aliis artibus ad priſtinam dignitatem aſſurgeret. Itaque rurſus in patrio ſolo per noſtros homines collocata, aliarum quoque gentium ſtudia movere cœpit, hoc beneficium ex illata ſibi calamitate aſſecuta, ut quæ fuerat Romanorum propria, tum propria eſſe inciperet eorum omnium, qui litteras adamarent. Revixeras, latina lingua, ſi quidem ut vivere putareris, nihil requirebatur amplius, quam ut penitus non taceres. Jam enim latini eſſe omnes Grammatici; latine declamare omnes Rhetores; Theologi, Philoſophi, Juriſperiti arcana ſuæ quiſque ſcientiæ latinis vocibus enuntiare. Verum in tanta litteratorum conſenſione & concordia quid tandem

effectum fuit, quamobrem reſtituta putari ea latinitas poſſet, quam elegantiſſimi homines, Cicerones, Horatii, Virgilii, Cæſares, Livii poſteris reliquerunt? Diſcebatur hæc quidem a pueris, commendabatur adoleſcentibus, ſenibus præſto erat, ſed vitio temporum ita deformis, horrida, lutulenta, ut non illi politiſſimi Romani proceres, ſed braccati Totilæ milites Italiæ redditi viderentur. Quid enim erat aliud Scholaſticorum more latine loqui, niſi novas veluti clades & vulnera infligere ei linguæ, quam uno pæne impetu Barbari profligarant? Mutata eſt, Auditores, temporum ratio, & hujuſmodi feritate jam propulſata, fere ubique Latina lingua excipitur nunc tam humaniter, ut ſe non cum hoſtibus, ſed cum amicis, nec in litore peregrino, ſed in Italia, hoc eſt in regno jampridem ſuo, eadem prope atque antea cum dignitate verſari ſentiat. Quin igitur ſtrenue contendimus etiam nos ad hanc laudem, & in colenda latinitate jam occupati, tanto eam ſtudio curaque complectimur, ut per nos penitus ſibi reſtitutam demum exiſtimet veterem gloriam, & priſtinæ ſuæ venuſtati redditum eum colorem, qui aut nativus ſit, aut ad eum quam proxime

xime

xime accedat? An illi labores tot atque tanti cum a domeſticis, tum ab externis ejuſdem gratia ſuſcepti, parum vehementibus ſtimulis commovent noſtros animos, nec ſatis clare demonſtrant, quantam commendationem habituri nos ſimus ad gloriam, ſi, quam linguam homines litterati conatu tanto ceteris anteſtare voluerunt, in ea noſmet ipſi litteratis hominibus anteſtemus? Quid? Si perbene latine loqui, Ciceronis ipſius judicio (1) ponendum erat in magna laude etiam tum, cum puriſſimum latinum ſermonem nutrices ipſæ una cum lacte inſtillabant; quanto demum in honore ſit apud nos, ſi quis, latinitate jam conclamata & ſepulta, poſſit tamen latine eloqui tam præclare, ut non in harum noſtrarum parentum ſinu, ſed in Romanæ illius elegantiſſimæ Gracchorum matris Corneliæ gremio educatus videatur? Ego certe, ſi hujuſmodi hominem nactus ſim, putem ſimillimum ei, quiſquis eſt, ſi modo eſt aliquis, qui non ſolum illuſtravit, ſed etiam genuit Romæ dicendi copiam; quem quidem in Bruto (2) Atticus tanti facit, ut pronuntiare non dubitet, eum attuliſſe Populo Romano plus di-

(1) *in Br. c.* 37. (2) *cap.* 73.

gnitatis, quam illos, qui Ligurum caſtella expugnarunt. Jam tanto nobis propoſito laudis præmio, quid eſt, cur operi adjunctus labor nos terreat? magnus profecto, ſed tamen, ut libere dicam quod ſentio, a nullis turpius quam a noſtris hominibus recuſandus. Cui enim Genti latina lingua, Italæ parens, magis eſt commendata, quam noſtræ? Quis porro in intima ejuſdem adyta penetrare fidentius poteſt, & nativam illius gravitatem, copiam, vim, numerum, elegantiam, ſonum denique ipſum facilius aſſequi, aut imitari? Utinam boni Superi, quemadmodum mihi puero ad probatiſſimos latinos Auctores aditum patere voluerunt; ita & ingenium ad ea, quæ legerem, cognoſcenda, & memoriam ad retinenda impertiſſent! Quid enim mihi ad perfectæ latinitatis laudem deeſſet, ſi, quæ antea ex uberrimis illis fontibus delibavi, ita prompte occurrerent menti, ut ſuus quæque locus, ut tempus, ut res poſtularet? Tua illa, Cicero, divina ſcripta, etiamſi ampliſſimam ſupellectilem tui ſimilium non attigiſſem, quot me & quantis opibus adjuvarent, ut, quidquid cogitatione complecterer, non ſolum idoneis verbis atque ſignificantibus aſſe-

ſequi poſſem, ſed etiam ornare figurarum luminibus, condire ſuavitate orationis, imbuere tandem colore quodam & numero prorſus tuo? Ac ſi mearum virium infirmitas ab hoc me aditu laudis prohibuit, & ex illo opulentiſſimo quaſi penu nihilo majorem mihi dicendi copiam licuit auferre, quam quæ hoc tempore magna cum verecundia in conſpectum veſtrum producitur, Auditores; attamen quid ego dubitem, quin eadem contentione & cura optimo ingenio præditi Adoleſcentes tale quiddam exprimere poſſint a latinis Auctoribus, quale idem Cicero expreſſit olim a Græcis, eorum lingua apud Rhodios Rhetores ſic locutus, ut Apollonius philoſophus ingenuo quodam pudore ſuffuſus exclamarit, Græcam jam eloquentiam ad Romanos migraſſe? (3) Quanto facilius, ſi viri eſſemus, Romana ad nos, non quidem ut hoſpes ad peregrinos, quemadmodum illa, ſed tamquam civis ad ſuos. Noſtri enim ſunt illi fontes, qui in agro Arpinate, qui in Venuſino, qui in Mantuano, qui in Veronenſi, per Ciceronem, Horatium, Virgilium, Catullum, feliciſſima Auguſti ætate orti ſunt, & aureis quodammo-

(3) *Plutarch. in Vita Cicer.*

modo arenis Italiam totam locupletarunt. Illud vero Livianæ eloquentiæ flumen quam prope attingit unumquemque noſtrum! quod natum in eo ſolo, in quo ipſi nati educatique ſumus, tanta celebritate famæ non in vicinis modo, ſed in remotiſſimis etiam gentibus fuit, ut nobiles quidam viri ab ultimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus ejus unius viſendi gratia in Italiam venire non dubitarint (4). Huc enimvero ſtudioſi Juvenes ſpectare debent, & in vetera ſuorum decora ſæpe intuentes, latinæ linguæ cupiditate ita inflammari, ut, ſi Romanis glorioſum fuit eripere dicendi laudem languenti Græciæ, & aliena ornamenta in ſuam urbem transferre; ſibi ipſi turpe totique Italiæ futurum putent, ſi amittant quæ ſua ſunt, aut vitio temporum jam amiſſa, implorata undique ope, in integrum non reſtituant. Macti igitur. En illi Auctores, quibus tamquam parentibus ſe totos dedant, quos audiant quotidie in ſcholis velut magiſtros, quibuſcum domi non ſecus ac cum amicis ſermones conferant, quorum denique conſuetudine & familiaritate illam ſibi, quam jamdiu poſtulo, integritatem incorruptam la-

.ini

(4) *Plin. lib. 2. ep. 3.*

tini ſermonis, & firmam quamdam facilitatem, quam M. Fabius (5) græco vocabulo ἕξιν nominat, pæne ſua ſponte conficiant. Quid eſt, quod ſubito nauſeantes quaſi ad pocula injucundiſſima nares contrahunt, & faſtidio quodam delicatiſſimo oblatas ſibi tam lautas epulas reſpuunt? Cicero eſt inſuavis, Horatius parum accommodatus puerorum ſtomacho, Livius ad concoquendum difficilis. Quanto meliores, inquiunt, Boccacii, Petrarchæ, Torquati, Areoſti, qui ſine Magiſtris, ſine Interpretibus intelligi poſſunt! Itaque hos legunt quam libentiſſime, hos in otio adhibent ad delicias, hos ad minuendum laboris tædium quærunt, cum his denique vivunt tam familiariter, ut cum maxima injuria latinæ ſcholæ fere præter hos nihil probent. Inſtant Magiſtri ſedulo, increpant, hortantur, monent, præmiis etiam, quibus ducitur illa ætas, ad opus invitant. Promoventur illi quidem tantillum, dolent objurgatione, excitantur ambitu, ſcuticam metuunt. Quid tum poſtea? Latinos libros in manus ſumunt, ſed eadem atque antea difficultate deterriti mox abjiciunt. Scribunt quæ dictantur a Præceptore, lati-

(5) *Inſt. lib.* 10. *c.* 1.

latine ea, caſtigate, fideliter reddituri. Euge! I cenſor, collige penſa. Jam hoc humile, illud improprium, ſequiora vocabula, diſcerptæ ſententiæ, præpoſtera tempora, confuſæ perſonæ, ordo perturbatus. Dii immortales! quid eſt, quod extinctæ Latinitatis nos aſſertores ac vindices unquam profiteamur, ſi tam impudenter difficultatis patrocinium prætextimus negligentiæ, & eum laborem defugimus, quem illa a cultoribus ſuis etiamtum poſtulabat, cum Romæ non modo viveret, ſed etiam laute ſplendideque regnaret? Quanti enim fuit J. Cæſari illa bene loquendi laus tam perfecta, ut omnium fere oratorum latine loqui eloquentiſſime putaretur? Adjuvabatur, credo, domeſtica conſuetudine, ut de Læliorum & Muciorum familiis accepimus; ſed tamen, *ut eſſet perfecta illa bene loquendi laus*, ſi credimus M. Tullio (6) *multis litteris, & iis quidem reconditis & exquiſitis, ſummoque ſtudio & diligentia eſt conſecutus*. Nam quid dicam de Tullio ipſo, cum ſe a vetuſtiſſimis Auctoribus plurimum fateatur adjutum, mireturque Curionem (7) quod is, qui nullum Poetam noverat, nullum legerat Oratorem,

ſolo

(6) *In Bruto c.* 72. (7) *ibid. c.* 58. 59.

ſolo uſu domeſtico obtinuiſſet, ut latine non peſſime loqueretur? Ille ipſe eloquentiſſimus L. Craſſus, cui partes iſtæ latine loquendi in facili cognitione poſitæ videbantur; tamen earum præcepta, quæ puerilis doctrina tradit, ſublimiore litterarum ratione ali voluit, & non ſolum conſuetudine quotidiani ſermonis, ſed etiam domeſticis libris, & lectione veterum Oratorum & Poetarum confirmari (8). Quare ſi quis miratur, quid ſit, quod Itali pueri latinum nitorem & elegantiam non aſſequantur, miretur potius, quid hi tantas opes ne florentiſſimis quidem temporibus minimo pretio parabiles, ſibi adjiciendas putent nihilo majore impenſa, quam ſi ſcriptitent quotidie aliquid, ut fit, oſcitanter, & quos Auctores Præceptor maximus Quinctilianus (9) ut cibos manſos ac prope liquefactos multa iteratione molliri jubet, ac memoriæ imitationique mandari, eos incurioſe, nec fere niſi juſſi, legendo interpretandoque percurrant. Magnum hoc vitium eſt, Auditores, & quamquam puerili ætati multa ſunt condonanda, attamen hoc tanto acrius prohibendum, quanto majus incommodum & detrimen-

(8) *Cic. l.3.de Or. c.*13.14. (9) *l.* 10.*c.*1.

mentum in reliqua ſtudia iſtinc redundat. Labitur enim interim minimo cum progreſſu ætas illa, quæ debebatur Linguæ Latinæ; ſuccedit altera ſtudiis aliquanto gravioribus accommodata; peragitur cenſus claſſium, explorantur ingenia, computantur anni; quid multa? apti, inepti ad Rhetoricam dimittuntur. Miſeri! Quis enim Rhetoricæ artis magiſter hoc ſe effecturum polliceatur, ut eloqui poſſint hi, qui bene latine loqui non poſſint? Negat certe Pomponius Atticus (10) & hujuſmodi homunculis ad facultatem nobiliſſimam contendentibus, *ſolum & quaſi fundamentum oratoris locutionem emendatam & latinam eſſe*, denuntiat. Negat J. Cæſar in libro primo de Analogia (11) & ad hos ignaviſſimos quaſi fucos a Rhetorum favis arcendos gravis auctor edicit, *verborum delectum originem eſſe eloquentiæ*. Negat inter ceteros L. Craſſus (12) & his cupientibus pedem in Suadæ templa audacter inferre, omnem aditum intercludit, minime ſperandum eſſe pronuntians, *qui latine non poſſit, hunc ornate eſſe dicturum*. Rhetores vero quam ingenua confeſ-

(10) *Cic.in Br.c.*74. (11) *Cic.ibid.c.*72.
(12) *Cic. l.* 3. *de Or. c.* 10.

Digitized by Google

feſſione hoc idem quotidie negant, qui cum artis, quam profitentur, pudore ac dedecore, in hujuſmodi adoleſcentibus oleum, ut dicitur, & operam perdunt! Tradunt illi pro ſuo inſtituto rationem certam periodi expoliendæ; iſti omnem curam in ea condenda coagmentandaque conſumunt. Illi tropos & figuras ad ornamentum & venuſtatem requirunt; iſti ad Λεξικά confugientes in venandis vocabulis occupantur. Illi orationem verborum delectu elegantem, compoſitione aptam, facultate copioſam efflagitant; iſti diu multumque cum dictione luctati, vix tandem proferunt pauca quædam exilia & macra, ut appareat, & plura & meliora eos fuiſſe ſcripturos, ſi verba, quibus ea ſcriberent, in promptu habuiſſent. Ita in verſando eodem ſaxo, uti Siſyphus, fruſtra occupati, tandem oborta deſperatione traduntur Dialectico, quaſi quæ res prohibuit, ne evaderent oratores, non illa eadem impedimentum ad alia progredientibus ſit allatura. Quid enim agent miſeri, aut quo ſe vertent, cum ad illa verenda Scientiarum veluti Sacra intromiſſi, obſcuriſſima quæque illarum myſteria non aliis audient niſi latinis vocibus evulgari? Quid, cum ab audien-

Digitized by Google

do ad dicendum traducti, ſolo freti eo præſidio, quod ſibi ipſi prima ætate conflaverint, extricare cogentur nodos implicatiſſimos, & quid quaque de re ſentiant, exponere? An vero tamquam in ſchola Pythagorea ſemper veluti truncis ſimiles obmuteſcent, aut, Magiſtris aliquam indicem ingenii vocem petentibus, moras & ſilentium quærent, dum illa cudantur verba, quibus proviſam & formatam cogitationem excipiant? Heus tu, quid hæres obſtipo capite quaſi unus ex iis Solonibus ærumnoſis, ut eſt apud Perſium (13) *murmura cum ſecum & rabioſa ſilentia rodunt, atque exporrecto trutinantur verba labello?* Quin expergiſceris aliquando, & hoc, quidquid eſt, quod muſſitans parturis, mihi tandem expromis? Quamquam quid eos excutio, ut, ubi conatu magno erumpere incipiant eorum voces, mihi ſubito haurienda ſit moleſtiſſima ſartago loquendi, auribuſque non prorſus inelegantibus excipienda vocabula cinctutis non exaudita Cethegis? quæ quidem ſi probem, mihique alioquin homini non difficili obtrudi ſinam, videar profecto Creſconio illi Grammatico ſimilia facere, qui, cum elocu-

(13) *Sat.* 3.

cutionem vehementer laudaret, attamen in Auguſtino, quod is in rebus graviſſimis verſaretur, reprehendit. Nolo, Auditores, qui color, qui floſculi, quæ pigmenta in Oratore probantur, eadem a Dialectico, a Theologo, a Juriſperito, a Philoſopho poſtulari. Hoc vero cur ego non poſtulem, atque adeo ſummo jure non flagitem, ut, ſive diſputent privatim in ſchola, ſive ex umbratili exercitatione educantur in pulverem, ſemper illorum oratio, quamquam omni ornatu, quaſi veſte, detracto, tamen in ſua illa ſimplicitate venuſta ſit, nitida, caſta, incorrupta, perſpicuis verbis, propriis, uſitatis, latinis, ut illæ rerum imagines, quas animus jam effinxerit, tamquam bene pictæ tabulæ bono in lumine collocentur? Hoc enimvero illud eſt, quod majeſtatem ſuſtentat magnarum artium; qui vero eas profitentur, tantam iis gratiam admirationemque conciliat, ut, cum auditum ſit eorum aliquem eſſe dicturum, concurſus ex tota urbe fiant, occupentur ſubſellia, locus in iis impleatur, factoque ſilentio, erigantur auditorum animi, & crebris aſſenſionibus a corona ſignificetur, non barbarum hominem eſſe in exhedra, ſed latinum. Abiit

enim illa ætas, cum venia dabatur inconcinnitati verborum, & ferebantur animo non irato ingenioſi quidam homines, ſed inculti, qui ad augendam veterem Scholaſticorum barbariem nova quædam vocabula a conſuetudine Romanorum valde abhorrentia effinxerunt. Nefas hoc quidem tempore tale quiddam æquis auribus pati; nec, ut initio dicebam, ulla unquam fuit inſtauratæ Latinitatis felicior ætas, quam noſtra, quæ judicat tam diligenter de elegantia ſermonis, ut a nemine eam ſinat, non modo ſi Orator, ſed etiam ſi Scholaſticus ſit, impune contemni. Videte igitur, Adoleſcentes, quo tandem numero, quo loco, qua conditione in litteraria republica vos eſſe velitis. Habete rationem nobiliſſimæ Linguæ, habete famæ veſtræ, habete etiam aliquam loci hujus, in quem Latinitas per immortalem Virum de Seminario hoc ſuo divinitus meritum importata, tenetur ſepta etiamnum liberali cuſtodia, & (niſi illam vehementer decipit indoles veſtra) fore ut fideliter teneatur etiam in poſterum, valde confidit. Cavete, ne vitio veſtro ſe erectam ſentiat in falſam ſpem, & ſive amænioribus ſtudiis, ſive gravioribus diſciplinis animum adji-

jiciatis, veſtræ cogitationes & curæ ſemper eo ſpectent, ut hæc velut adulta virgo veſtræ fidei non fruſtra fuiſſe concredita videatur. Ab hac vobis ducite, Adoleſcentes, primam commendationem ad gloriam, & vetera exempla pro veſtra quiſque facultate æmulantes, facite, ut habeat etiam hæc ætas ſi non illos Catulos, quorum fuit oratio tam pura, ut judice M. Tullio (14) latine loqui pæne ſoli viderentur, at eos ſaltem, qui a Stajenis & Antroniis (15) ſecerni poſſint, & in hominibus diligenter & caſtigate loquentibus numerari.

(14) *l.3. de Or.c.8.* (15) *Cic. in Br.c.69.*

DE ARTE ORATORIA.

ORATIO II.

Ad Oratoriam artem idonea non ſunt, niſi ingenia ſuapte natura fecunda.

SI quantum in Grammaticorum ſcholis diligentia poteſt, tantum in Rhetorum palæſtris labor contentioque valeret; nihil mihi potius foret hoc tempore, quam ut pueris ad Rhetoricam progredientibus tale quiddam præciperem, quale mihi licere anno præterito viſum fuit, cum eoſdem Grammaticæ commendarem. Cum enim a tirunculis nihil amplius poſtulari oporteret, quam ut ſincero Latinitatis colore imbuerentur; non tam mihi videndum cenſui, quale ipſi ingenium ad ejuſmodi inſtitutionem afferrent, quam quibus ego ſtimulis ad eam alacriter arripiendam laboris fere fugiendi cupidos incitarem, ratus in eo litterarum genere plurimum effecturos, ſi vel mediocre ingenium eximia quædam diſcendi cupiditas adjuvaret. Nunc vero, mutata ratione temporum ſtudiorumque,

que, aliam mihi viam eſſe ineundam ſentio, mirorque vehementer, quid ſit, quod navi Juvenes & induſtrii bene latine loquendi facultatem jam aſſecuti, quamquam eadem animi contentione ad bene dicendi artem incumbant, attamen iſtam laudem perinde aſſequi nequaquam poſſint, jactoque feliciter eloquentiæ fundamento, in ipſa tandem eloquentia ſuperſtruenda plerumque deficiant. Sed nimirum aliud Grammaticorum, aliud Rhetorum cultura deſiderat; ad quam niſi fertile ingenium afferas & fecundum, diuturna exercitatione non magis proficias quam agricola laborioſus, qui omnem curam & diligentiam ſterili colendo litori impendat. Illa enim ſumma virtus, aut, quemadmodum appellatur a Cicerone (1) una quædam de ſummis virtutibus eloquentia, etſi arte tractari debet ac perpoliri, tamen niſi ſua ſponte inſederit in excellenti natura, quamvis acri doctrinæ accitu evocata, pertinaciter admodum præfracteque reſiſtit. Quare, cum Adoleſcentes noſtri, puerilium ſtudiorum curriculo jam emenſo, ad eam ſibi dari aditum cupiant, moveor eorum utilitate, ut, quid efficere poſſint, ante perſpiciam, imiterque il-

(1) *lib.* 3. *de Or. c.* 14.

illum doctorem Alabandenſem Apollonium (2) qui non patiebatur, eos operam apud ſeſe perdere, quos judicabat non poſſe oratores evadere. Ita, ſi qui ad eloquentiam natura compoſiti videbuntur, hortabor, ut in eo ſtudio elaborent, eoque vehementius, quo magis ad decus & gloriam intereſt, excellere in ea facultate, in qua tolerabiles fortaſſe multi, pauci certe probabiles extitere. Sin autem ita abhorrebunt, ut, cum vim omnem contentionemque adhibuerint, tamen ne ad mediocres quidem ſint oratores venturi; ego vero eos non producam inani ſpe, & quod eorum rationibus maxime accommodatum putavero, libere pronuntiabo.

Ac mihi ingeniorum delectum inſtituenti perdifficilis diſpiciendi ratio proponitur, Auditores, in tanta eorum diſſimilitudine & varietate, quantam animadvertit eorumdem ſpectator accuratiſſimus M. Fabius (3) cum affirmavit, non pauciores eſſe animorum pęne quam corporum formas. Quamquam ad illas quidem quod attinet, de quibus nunc laboramus, nec ſunt ita multæ, ut uno intuitu perſpici omnes non poſſint, nec ita parum eminent inter ceteras, ut non facile in-

(2) *Cic. l.* 1. *de Or. c.* 28. (3) *l.* 2. *c.* 8.

internoſcantur. Quid enim tam illuſtre, quam læta indoles, vivida, generoſa, quæ præſeferat ingentes ſpiritus, prona ſit ad licentiam, luxuriem amet, oderit ſiccitatem? Ego enim peritiſſimos illos dicendi magiſtros Ciceronem (4) & Quinctilianum (5) ſecutus, id demum ingenium poſtulo, in quo ſe efferat aliquid quod ſuperfluat atque redundet; vitium id quidem, ſed ita in adoleſcente probandum, ut affirmare non dubitem, & acriter conſtanterque defendere, in quo maxime hoc vitium ſit, eum maxime idoneum eſſe, qui ad eloquentiæ laudem aſpiret. Naſcitur hæc, Auditores, alitur, & ſuccreſcit non ſecus ac feraciſſimæ quædam vites, quæ optimo exceptæ ſolo cum ſeſe nimium profuderint, ſi eas agricola revocet non imperitus, fructuum bonitate & copia tantum ceteras vincunt, quantum inani ſarmentorum propagatione ſuperabant. Itaque ſi qua adhuc tenella ingenia efferant ſeſe hilarius, & nimia ſtatim fecunditate luxurient, quid eſt cur nos offendamur, nec potius animo proſpicientes in poſterum, iſta ipſa paullo profuſiore orationis pubeſcentis ubertate & copia in maximam eloquentiæ

B 4 ſpem

(4) *l. 2. de Or. c. 21.* (5) *l. 2. c. 4.*

ſpem erigamur? Jam coercebitur ſicut in vitibus ea luxuries, quam integræ ætatis vigor effuderit, ſuaque ſponte exareſcet redundantia verborum, mollietur ſententiarum acerbitas, jocorum minuetur audacia; totaque oratione ad maturitatem ultro abeunte, tumida ſublimibus, nimia plenis, ſcurrilia ſuavibus locum dabunt. Turget adoleſcens Sulpicius in cauſa parvula, quemadmodum apud Ciceronem (6) teſtatur Antonius, & oratione celeri & concitata, & verbis efferveſcentibus, & paullo nimium redundantibus animorum plenus exultat. Quis importunus cenſor inhibito quaſi freno auſit ejus induſtriam ſubito infringere? Perſtet is enimvero in ſuſcepto curſu; forum ſibi ludum putet eſſe ad diſcendum; magiſtrum deligat ſuæ ætatis principem L. Craſſum. Vix annus intercedit, cum rurſus in oratorium campum productus C. Norbanum accuſat. Tam brevi temporis intervallo idem ille Sulpicius quam diſſimilis ſui! Amplum dicendi genus, nec tamen ut antea tumidum & inflatum; oratio volubilis, non redundans; intenta & vehemens, non aſpera nec impolita, adeo feliciter læta illa ſegete in frugem

(6) *l. 2. de Or. c. 21.*

Digitized by Google

gem data, ut optimus eloquentiæ æſtimator Tullius, ſe ita grandem oratorem audiſſe neminem fateatur (7). Quid Tullius ipſe in oratione pro Sex. Roſcio Amerino quam juveniliter geſtit! Hærent attenti Judices, mirantur ii qui ſedent homines nobiliſſimi, omnium civium qui aſtant ora animique eriguntur, quum de ſupplicio parricidarum dicit illa notiſſima; *quid enim tam commune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? Ita vivunt, dum poſſunt, ut ducere animam de cęlo non queant; ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat; ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur; ita poſtremo ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant.* Hui ad hæc quam ſecunda totius concionis admurmuratio! Macte animo, M. Tulli, fruere gratulatione maximo clamore & plauſu a toto foro ſignificata, quam tamen poſt aliquanto ſentias tibi eſſe datam adoleſcenti, non tam re ſcilicet & maturitate, quam ſpe & expectatione laudata. Vidit certe, nec dubitavit, cum ille ardor ætatis deferbuiſſet, de ſe ipſe hoc confiteri (8); ſed tamen hac indole ingreſſus eſt ad illam plane admi-

(7) *in Bruto c.* 55. (8) *in Orat. c.* 30.

admirabilem eloquentiam, quæ poſteris commendata, non ſatis ſcio, utrum plus animi ad imitandum, an pudoris ad deterrendum injiciat. Utinam, Auditores, ejuſmodi liberos Patavinis Parentibus Superi dediſſent, qui nobis ad erudiendum commiſſi tale quiddam afferrent, quod aut ad illum ardorem Sulpicii, aut ad hanc juvenilem Ciceronis redundantiam accederet. Quam enim libenti animo pati vellem, ut teneræ eorum mentes mollius a magiſtris, non ſecus atque infantes a nutricibus, alerentur, & jucundioris diſciplinæ cibo nutritæ, habitiores, ut ita dicam, evaderent, haberentque interim plenius quiddam & abundantius, quod mox adulta ætas aſtringeret. Auderent, per me liceret, ſine piaculo; tentarent quid ipſæ ſua ſponte invenire poſſent; inventa quamquam non ſatis ſicca & ſevera, attamen litteris traderent, nec paterentur conceptas rerum imagines aut refrigeſcere ſtili tarditate, aut nimia emendationis ſuperſtitione perire. Si quid lætius excideret, aut licentius, cur ego veniam generoſo illi conatui gravate concederem, nec ſperarem, temporis beneficio omnia maturitatis & ponderis plena indidem exitura? Vix enim credibile eſt, quan-

tam

tam ad decoquendum vim habeant anni; quibus quiſnam poteſt occurrere confidentius, quam is, cui ſuperſit, quod ratio limet, quod uſus deterat, quod magiſter exſcindat? Nondum de ſterilibus loquor; ſed tamen ſi quis eſſet aut ingenio tam arido, ut idonea ad ſcribendum facile invenire non poſſet, aut ſtilo ita lento, ut in inventis miſere conſeneſceret; quid in hoc homine faceret robuſtior ætas, quæ plena ſeveritatis illa ipſa contrahit feracia ingenia, & ad aridam pęne dixerim parſimoniam ducit, quæ antea ſubito calore atque impetu concitata, copioſiſſimam ſupellectilem explicabant? Quid? An Oratorem, qui in foro, in curia, in ſcholis, in Academiis verſari naviter debet, & præſidium clientibus, opem amicis, lucem denique ingenii & conſilii ſui cunctis prope civibus porrigere ac tendere, ita demum inſtituamus, ut quemadmodum ab Iſocrate panegyricum, ſic ab hoc orationem, niſi poſt decem annos non impetremus? Appetet fortaſſe tempus, cum ſtudioſis adoleſcentibus, ubi proprium ſibi dicendi genus longa exercitatione formaverint, dabitur tantum otii ad ſcribendum emendandumque quod ſcripſerint, quantum hic Græcus bene dicendi ar-

ti-

tifex, aut poſt hunc alii multi clariſſimi viri ſibi ſumere voluerunt, qui, cum ſæpe ac ſæpius eamdem incudem tunderent, ſedulo cogitabant, ſe quærere ingenii laudem, nec quidquam aliud ſpectare, quam quod petebat ille Zeuxis fama nominis immortali, qui Agatharcho neſcio cui de pingendi celeritate glorianti reſpondit (9) *diu ſe pingere, quoniam æternitati pingeret*. Nunc vero quis locus moræ eſſe poteſt in eo de quo loquimur adoleſcente, qui argumento ſibi ſubito deſtinato ad ſcribendum, ad pluteum ſedet, non editurus quod quiſquam laudet & admiretur, ſed quod magiſter, callidus æſtimator, examinet, & ex eo veluti ex forma properato penicillo adumbrata, quinam ſit eloquentiæ color futurus, ſpecimen capiat. Age, ſodes; nemo eſt, nec vero eſſe poteſt, qui a te quidquam aut perfectum ingenio, aut induſtria elaboratum expectet. Si efferat ſe fecunditas, ſi ſit unde aliquid amputem, ſi ſuboriatur quod dies mitificet, in vado res eſt. Tumidum hoc quidem, ſed hinc ſpes roboris nervorumque; hilarius illud & exultantius, at inde veneres & lenocinia; profuſa hæc paullo nimium & luxurian-

(9) *Hadr. Jun. l. 4. c. 16.*

riantia, macies videlicet & infirmitas non timenda; illa duriuſcula, & ut ſemel finiam, fere omnia acerba, nempe arriſerint M. Fabio, in pueris hoc poſtulanti (10) ut ne maturitas quidem ipſa feſtinet. Fabio, inquam? Immo illi ipſi, quo ceteroquin nemo fortaſſe citius pervenit ad frugem, Ciceroni dico, qui, quod nimis celeriter eſt maturitatem aſſecutum, in eo ſuccum negat eſſe diuturnum (11). Senſit hoc idem multo ante, Auditores, & ad hunc veluti lydium lapidem ingenium ſuum exploravit Poeta Accius, qui cum tragœdiam, cui Atreus nomen, Pacuvio deſideranti legiſſet, dixiſſetque Pacuvius, canora quidem eſſe quæ ſcripſiſſet & grandia, ſed videri ea tamen ſibi duriora paullo & acerbiora; ita eſſe, reſpondit, neque ſane ſe pęnitere: ſperare enim, quæ deinceps ſcripſerit, fore meliora. Quæ res autem Accium in iſtam ſpem tam ſubito erexit? *Nam quod in pomis eſt, itidem*, inquit, *eſſe ajunt in ingeniis; quæ dura & acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia & jucunda; ſed quæ gignuntur ſtatim vieta & mollia, non matura mox fiunt, ſed putria*

(10) *l.* 2. *c.* 4.

(11) *l.* 2. *de Or. c.* 21.

tria (12). Quod ſi ita eſt, quid ego diutius patior ſuſpenſos puerorum animos dubia expectatione pendere? Jam voti compotes ſunt, ſi quidem hoc a natura ſe nactos ſentiunt, quod ego efflagito. Adeant Rhetorem, occupent prima ſubſellia, in artis denique ceterarum principis expectationem inſtituendi hoc futurum confidant, ut ubertas, quantamcumque afferant, mutetur frugibus, tumor ſucco, acerbitas lenitate. Interim vero quam conditionem ſtatuemus in eos, qui ad hanc eamdem facultatem, non eodem tamen ingenio præditi, aſpirant? Num luxuriantibus detrahere conabimur ſupervacanea; jejunos atque aridos non alemus? Nihil dicam, Auditores, quod illi ipſi, de quibus dicendum eſt, re paullo attentius examinata, ſuffragio ſuo non confirment. Poteſt ne hominibus adoleſcentibus, qui naturalem fecunditatem forte non habeant, magis æqua conditio proponi, quam ut, ſi apti ad eloquentiam fieri arte poſſint, recipiantur in iſtam claſſem; ſi non poſſint, omnino arceantur? Age igitur, quid iſtuc eſt, quod hi efficere, aut quo ſe progredi unquam poſſe confidant? Conſulamus magiſtros artis,

ſi

(12) *Agell. l.* 13. *c.* 2.

ſi forte nos ipſi aliqua verecundia prohibemur, quominus de ingenuis adoleſcentibus libere, quod ſequius ſit, pronuntiemus. Quid ais, L. Craſſe, graviſſime auctor & ſapientiſſime, de iſta candidatorum petitione quid cenſes? (13) Cum illum animum poſtulas & ingenium, cujus celeres quidam motus eſſe debeant, qui & ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandumque ſint uberes; cum illud etiam fidenter aſſeris, præclare ſe rem habere, ſi hæc accendi & commoveri arte poſſint, inſeri quidem & donari ab arte non poſſe confirmas; quid aliud poſtulas, niſi ut pueri ſuapte natura infecundi a Rhetorum foribus prohibeantur, ne forte in eo quaſi ergaſtulo collocati ſimilia faciant ei Siſypho, ut eſt in fabulis, qui verſat ſaxum ſudans nitendo, neque proficit hilum? Nam quid ego Quinctilianum appellem? cujus eſt illa vox longo uſu experientiaque viginti annorum, quos in Juventute erudienda conſumpſerat, conſtantiſſime comprobata (14) *facile remedium eſt ubertatis; ſterilia nullo labore vincuntur*. Nihil novi dico apud eos, qui ad graviora ſtudia provecti, aut ſibi dolendum ſentiunt, quod florentem ætatem in pa-

(13) *Cic. l.* 1. *de Or. c.* 25. (14) *l.* 2. *c.* 4.

paranda ſibi eloquentia fruſtra contriverint, aut feracis ingenii beneficio eam aſſecuti, dolent illorum vicem, qui quanta maxima induſtria poſſunt, aquam, ut ajunt, a pumice, & eam quidem & copia & ſuavitate præſtantem, conantur exprimere. Miſerum eſt, quod mihi aliquando contingit, in Rhetorum palæſtras pedem inferre, & ubi lætam eorum indolem magna cum voluptate ſpectaveris, qui ut ingenio eminent, ita in principe loco poſiti alacres erectique ſuum opus urgent ſucceſſu proſpero, tandem ad infima ſubſellia deſcendere, & in illa ſterilium hominum turba tacite cognoſcenda immorari. Quæ frons, Dii boni, qui habitus totius oris & corporis, quæ triſtitia! Hærere alii obſtipo capite; alii rodere vivos ungues; alii irato calamo pluteum cædere; omnes anxii & ſolliciti, nihil ad id quod poſtulant occurrente, inutili labore ita conſumi, ut illum Julium Secundum, adoleſcentem alioquin difertum, fuiſſe aliquando ſolitum refert Quinctilianus, (15) qui cum in ſchola triſti obductaque fronte deprehenſus eſſet a patruo, non diſſimulavit, tertium jam diem eſſe, cum materiæ ſibi deſti-

(15) *lib.* 10. *c.* 3.

ſtinatæ ad ſcribendum non inveniret exordium. Nonne vident miſeri, dum id agunt, ut ſiccitate egeſtateque deperditi, ad verborum delectum, ad periodorum numerum, ad orationis copiam & varietatem (id eſt enim ad eloquentiam) inſtituuntur, ſe perinde operam ludere, ac ſi quis in aſpero Saxeto tamquam in amœniſſimis hortis Heſperidum elaboret? Ecquid igitur iſtuc eſt (id enim quod antea timide, nunc demum fidenter quæro) ecquid, inquam, iſtuc eſt, quod homines infecundi de ſe ipſi polliceantur, cujus cauſa operæ pretium ſit improbo labore frangi, deſerere culcitam ante lucem, impalleſcere chartis, & quod maxime dolendum eſt, negligere interim alias artes, ad quas optima ſtudiorum moderatrix natura proclivius inclinet? Majus quiddam profecto eloquentia eſt, quam ut a pueris nulla feracis ingenii commendatione, nullis fecundæ naturæ opibus comparetur; non illa quidem tamquam ancillula macie & ſqualore confecta, ſed velut matrona integra ætate, optimo habitu, maximis viribus, quadam etiam coloris ſuavitate florens e domeſtica exercitatione & umbratili in publicam lucem, in medium agmen, in clamorem,

in pulverem educenda. Quare videant iſti aliquando quid velint, & eo quo velint cum evadere nequeant, contineant ſeſe, & ad alia ſtudia delapſi imitentur Græcos artifices, in quibus ajunt eos aulœdos fuiſſe, qui citharœdi fieri non poſſent. Patent ubique gymnaſia, novi paſſim litterarii ludi aperiuntur, magiſtri demum non deſunt, a quibus ingenia in id, quo maxime tendunt, apte ſcienterque adjuventur. Si tibi propter ſterilitatem in nobiliſſimo Oratorum ordine, ad quem nemini facilis aditus unquam fuit, locum eſſe non licet; alii ſunt ordines litteratorum, qui honeſtiſſimam ſedem in ſua tibi claſſe concedant. Polles ingenii acumine? Dialectici, Philoſophi, Theologi, Mathematici te non modo non reſpuunt, ſed etiam advocant atque invitant. Memoria vales? Hiſtorici, Juriſperiti, & quicumque lectiſſimam eruditionem aut veterum temporum, aut recentium profitentur, copioſiſſimas opes ſuas de ingenii fecunditate nequaquam ſolliciti æquo tibi animo indulgent. Caudex, ſtipes, plumbeus nihil habes, in quo ad ullam ſpem merito aggredi poſſis? Tum vero muſicus, citharœdus, ſutor, coriarius, miles, quidvis potius quam noſter,

abi

abi Superis bene juvantibus ad illam artem, quæ tibi maxime arridet. Quæ enim iſthæc, malum, perverſitas eſt, ut ad liberaliſſimum litterarum ſtudium homines detrudantur, nullo ingeniorum delectu habito, in eoque detineantur, invita, ut ajunt, Minerva, id eſt adverſante & repugnante natura? Hæc (quis ignorat?) omnibus quidem ingenium, at non omnibus idem inſevit, cumque ad hujus univerſitatis pulcritudinem conſervationemque multiplex artium diſſimilitudo conſpiret, pro illarum diverſitate diſſimiles quoque animorum habitus atque formas unicuique diſtribuit. Videmuſne vividum illum adoleſcentem robore virium, ſanguiniſque fervore micantem? Marti aſſignaverat. Videmus alterum tenaciorem pecuniæ, ſupraque ætatem attentum ad rem? Addixerat τῇ οἰκονομίᾳ. Alium animadvertimus miro manuum artificio præſtantem? Artibus mechanicis deſtinarat. Cur nos autem pulcherrimo hoc ordine perturbato & inverſo, οἰκονόμον militiæ, militem rei familiari, alium aliis ſtudiis pro libidine devovemus? Sunt in animis noſtris artium lineamenta nonnullarum, quæ diligenter obſervare neceſſe eſt, ne forte ea, quæ noſtri ingenii non ſunt, impru-

denter amplexi, aut cogamur inde recedere cum ignominia, aut cum maximo damno oleum ibidem & operam perdere. Suum igitur quiſque noſcat ingenium, Adoleſcentes, & ad quas res aptiſſimus eſt, in iis potiſſimum elaboret. Ne vos temere alliciat aut dignitas eloquentiæ, aut ſplendor quarumdam aliarum artium, quæ ſatis commode veſtris humeris non inſideant. Imitamini ſcenicorum prudentiam, qui non optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt. Nolite in ſtudiorum delectu aut propinquis, quorum animos plerumque lactat inanis ſpes, aut iis amicis credere, qui placere mendacio malunt, quam veritate diſplicere. In clientelam noſtram & fidem jam conceſſiſtis; nobis judicandi curam relinquite. Videtis, quam varia ſint hoc in loco ſtudiorum genera, & quam variis ingeniis accommodata. Quid vultis amplius? Habebitur omnium ratio, & candido ſemper animo a nobis curabitur, ut ſingulis ſatisfiat. Sint alii de ſe ſolliciti; vos de hoc uno, ut ad ea, ad quæ moderatorum veſtrorum judicio & auctoritate ducamini, naviter incumbatis.

DE

Digitized by Google

DE ELOQUENTIA SCHOLASTICA ORATIO III.

In gravioribus artibus & diſciplinis elocutionis cura non eſt negligenda.

QUi Latinæ eloquentiæ cauſam in hoc ornatiſſimo litterario judicio defendere præterito anno conatus ſum, oleum mihi videor & operam perdidiſſe, niſi eidem conſulam etiam in poſterum, & peſtem quamdam ejus ſplendori valde inimicam in provincia mox obeunda impune regnantem, implorato undique auxilio propulſandam ſuſcipiam. Mirum enim quam ſubito in ipſo ſeveriorum Artium veſtibulo omnes amænæ litteræ conticeſcant, & quam grave periculum ſit, ne Adoleſcentes ſuavi Rhetorum quaſi lacte ad omnem elegantiam nutriti, impuro illo & amarulento ſcholaſticæ locutionis ſucco imbuantur, ſubductiſque leniſſimis epulis, quibus eorum ſtomachus aſſueverat, deliciarum ſenſu paul-

latim refrigeſcente, eo tandem evadant, ut corrupta priſtina valetudine, ſqualore quodam & macie extabeſcant. Perſonat in omnibus ſcholis a politiorum litterarum cultu, & ab hac Patavina elegantia abhorrentibus, Manilianum illud (1) *Ornari res ipſa negat, contenta doceri*; & eadem hæc lex, quamquam ſuapte natura Rhetorum juri minime infeſta, a barbaris tamen hominibus tamquam tribunitius quidam mucro diſtringitur, qui eodem tempore & perniciem afferat eloquentiæ, & fœdiſſimis quibuſque monſtris non modo Rhetorum, ſed etiam Grammaticorum judicio damnatis, impunitatem & licentiam permittat. Itaque iſtorum doctrina non ſolum caret ornatu omni, ſed etiam munditia, nec alia oratione Diſciplinarum arcana & myſteria enuntiantur, niſi horrida & lutulenta; quaſi non ſatis indignum ſit, eloquentiam ab ea provincia immerentem expellere, niſi ei omnes aditus, teterrimis quibuſdam peſtibus ad cuſtodiam oppoſitis, obſtruantur. Magnum hoc vitium eſt, Auditores, & ſive neceſſitate quadam ab iis uſurpatum, qui incorruptam Latini ſermonis integritatem ſervare nequeunt pro-

(1) *lib. 3. Aſtronom.*

propter inſcitiam, ſive falſa opinione a nonnullis ſponte ſuſceptum, quod putent, in rerum ſtudio verborum curam negligi oportere; a nobis certe in hac tam culta Civitate viventibus prohiberi maxime debet, & elegantium litterarum oſoribus perperam reclamantibus, non Latinitas modo, ſed ipſamet eloquentia in iis ſedibus, unde magna cum injuria depellitur, honorifice collocari. Quare, ne mea fides erga Rhetoricam mihi una cum Adoleſcentium noſtrorum rationibus commendatam deſideretùr, hiſce litterariis comitiis non veluti ſeditioſus tribunus, ſed tamquam defenſor publicæ utilitatis honeſtatiſque, hanc rogationem fero; ut peſtilens virus ſatis diu in Italia graſſatum propulſetur ex omnibus ſcholis, amandeturque in eas terras, unde ad corrumpendam Romanam linguam ſuperioribus ſæculis emanavit; & eloquentia poſtliminio reverſa omnia antiqua jura recipiat, & oratoriis concionibus jampridem reſtituta, in ſcholaſticis tandem exhedris ſtatuatur, & Philoſophis, Theologis, Juriſperitis, omnibus denique profeſſoribus magnarum artium tamquam pudica nurus ſine fuco, ſine lenociniis, optimo habitu, & maximis viribus, tum ad præſidium,

tum ad decus & ornamentum, adjungatur. Quod ſi quis eſt, qui huic æquiſſimæ rogationi intercedere auſit, non ei quidem jus ſuum adimo, ſed oro obteſtorque, ut data mihi concione, expectet ſilentio, dum eam ſuadeo, cum illo eventu atque fortuna, quam hi qui ſedent litteratiſſimi judices eſſe malint.

Barbariem igitur, capitalem Latinitatis hoſtem, peſtem litterariæ reipublicæ perniciofiſſimam, nullo jure, ſed vitio temporum jampridem in Latium ingreſſam, ex omnibus ſcholis, ut initio rogaveram, ubicumque deprehendi poſſit, exterminandam propono. Quis eſt, qui hanc vocem, indicem renaſcentis Romanæ linguæ, & ad aurei ſæculi felicitatem properantis audiat invitus, & malit adhuc in Latio non ſolum extare indicia veteris turpitudinis, ſed ipſum morbum, quo contabuimus, impune graſſari? Hæret infixa omnium mentibus hærebitque acerbiſſima illius temporis recordatio, cum iſta labes nunquam auſa, florente Romano imperio, ullis Latinorum cætibus admiſceri, eo tandem præcipitante, ſubitus quaſi turbo undique erumpens, in omnem Italiam impudenter invaſit, & primo ſtatim impetu omnibus omnino litteris horrorem inflixit.

Ceſ-

Ceſſit Latinitas tempori, non ſatis ſcio magis ne miſera, quod Barbarorum flagitio de ſua poſſeſſione dejecta eſt, an poſt glorioſior, quod ſummo ſuorum ſtudio & voluntate in eam revocata. Vivent certe egregii facinoris fama immortales Petrarchæ, Vallæ, Philelphi, Pogii, aliique, qui primi Latinitatem excitare conati ſunt, & poſterorum ſtudia exemplo ſuo commoventes, injecerunt eam ſpem, fore, ut aliquando, cunctis ordinibus conſentientibus, rurſus in patrio ſolo magna cum dignitate conſiſtat. Quid hæremus ad hæc, & futuras ætates, quarum fructus nemo noſtrum aſpiciet, dubitando prolatandoque expectamus? Nobis, Auditores, tam pulcri operis perficiendi opportunitatem, nobis, inquam, Superi reſervarunt, tota re litteraria tum demum in integrum reſtituta, ſi barbariem, non, ut antea, elatam victoriis, & ingenti patronorum numero ſuperbientem, ſed profligatam, deſertam, miſeram, & latebras quæritantem omnino opprimamus. Adjuvant iſtam rem omnes Grammatici, quorum canones non alio ſpectant, niſi ut omnia monſtra Latinæ locutioni aut ſuſpecta aut inimica arceantur. Adjuvant omnes Rhetores, quorum legibus

cau-

cautum eſt, ne qui milites, niſi Romanæ civitatis jure donati, in oratoriis caſtris ſtipendia faciant. Adjuvant inter ceteros illi ipſi, quorum præcipue cauſa laboro, illi, inquam, ipſi, qui reconditis & a vulgi ſenſu remotis in artibus doctriniſque verſantur; quorum ii qui maxime ſapiunt, eximia cura ad genuinæ Latinitatis normam dictionem ſuam caſtigantes, ſeſe e turba in veteri Scholaſticorum luto demerſa eximi volunt, oderuntque communionem eorum, quibuſcum alioquin & ſtudiorum ſimilitudine, & earumdem ſcholarum fœdere conſociantur. Quin igitur tam multis copiis tamque firmis inſtructi magno animo irruimus in barbaros, qui & numero & viribus diſpares jamdiu mihi videntur diffidere rebus ſuis, & florentes Latinorum opes, impendentis periculi metu perculſi, torvis oculis intueri? Feriunt iſtorum aures ſecundi plauſus, qui in omnibus Academiis huic politiori hominum generi quotidie dantur; & ille concurſus audiendi cauſa, illa corona multiplex, illud ſilentium, illæ crebræ aſſenſiones admirationeſque, Titii vulture crudelius lancinant illorum jecur, quibus hæc non contingunt. Quis enim non deſerat Philoſophum, Theologum,

aut alium quempiam ſcholaſtica loquendi ſartagine latinis barbara, noſtris peregrina, ſinceris corrupta permiſcentem, ſi eodem in genere copia ſit illorum, qui ſuaviſſimos latices, & prope Hyblæa mella conficiant? Itaque Latini cum diſputant, audiuntur ab omnibus libentiſſime; barbari non modo a corona, quod ipſum eſt miſerabile, ſed etiam ab advocatis relinquuntur, lepidiſſimos ludos exhibere ſoliti eorum ſpleni, qui verba impropria, monſtroſa, σόλοικα ſtudioſe aucupantur, quæ deinde Grammaticis ſuaviter deridenda propinent. Vicimus, Auditores, ſi omnes ordines tanto animorum conſenſu, quanto incœpiſſe videntur, ad Latinæ linguæ dignitatem aſſerendam conſpirant. Ac ſi revera communi odio barbaries debilitata & afflicta cedit Latinitati; ſi in omnibus ſcholis locutio caſta, ſincera, integra reviréſcit; ſi pauci denique numerantur virulenta ſcabie adhuc infecti, iidemque eum morbum & aliis inviſum eſſe ſentiunt, & ipſi prope faſtidiunt; libemus pateras Apollini & Muſis, & illam peſtem, cui bellum indicturus huc veneram, ex omnibus Latii finibus vel ejectam, vel ſua ſponte egredientem, publicis gratulationibus proſequamur.

mur. Abeat igitur cum impuro ſuorum ſatellitum comitatu; ſecedat quocumque velit, modo trans Alpes, unde profecta eſt; deſinat inſidiari noſtrorum gloriæ, circumſtare cætus doctorum hominum, obſidere gymnaſia; ſit denique inſcriptum in fronte uniuſcujuſque, de Latinitate quid ſentiat. Ita nullum poſthac ab illo monſtro periculum metuentes, facilius aggrediemur ad illud alterum, quod rogaveram de eloquentia, nullo quidem modo impetrandum, ſi barbaries expelli non potuiſſet; ſed ita pronum & facile ad obtinendum, ea jam expulſa, ut quaſi conſectarium mihi a vobis datum iri confidam. Quid enim attinebat locutionem emendatam & latinam, hoc eſt eloquentiæ ſolum & fundamentum, tanta approbatione, quantam ex omnium ore ſtudiiſque conjicio, ſubſternendam curare, ſi eloquentiam ipſam prope ſua ſponte inde enaſcentem ſuperſtrui nolitis? Hæc, Auditores, integerrima Latinitatis cuſtos, omnium animi ſenſuum fidiſſima interpres, in rebus difficilibus expedita, clara in obſcuris, in perſpicuis grata & ſuavis, decora artibus, utilis differentibus, audientibus perjucunda, ad quoſnam homines faciliorem habere aditum debet,

quam

quam ad eos, qui ſapientiam ipſam profitentur & tradunt? Neque vero tamquam hoſpes & peregrina, ſed vetus jam domina in hanc provinciam inducitur hac rogatione, certum jus & poteſtatem in eam adepta uſque a Græcorum temporibus, quibus optantibus, in omnibus ſcholis, quæ quidem dignæ eſſent honore tanto, glorioſiſſime floruit & dominata eſt, Philoſophis inter ceteros adeo familiaris, ut Fabio teſte (2) *iidem ſapientes & eloquentes haberentur.* Atque ab his exorſa, numerat inter primos Platonem illum; Ciceronis judicio (3) omnium quicumque ſcripſerunt, aut locuti ſunt, & copia dicendi, & gravitate principem, quem ſuo ipſa artificio tamquam optimi Philoſophi exemplar effinxit, multo mehercule induſtrior, quam illæ apes, quas eidem in cunis parvulo dormienti in labellis conſediſſe ajunt, & dulciſſima alimenta inſtillaſſe (4). Jam a Platone ad ejus diſcipulos gradu facto, ſibi præcipue plaudit in Ariſtotele, quem ingenio præſtantem, & ad philoſophica apprime factum, ita ſuis artibus informavit, ut Iſocratem ipſum potuerit, eloquen-

(2) *l.* 1. *in Proœm.* (3) *in Orat. c.* 19.
(4) *Cic. de Divin. l.* 1. *c.* 36. *Val. Max. l.* 1. *c.* 6.

quentiæ patrem a Græcis appellatum, laceſſere, & egregios de Rhetorica libros poſteritati commendare, cum magna fortaſſe noſtrorum Rhetorum verecundia, qui bene dicendi artem a Philoſopho accipiunt, ſed multo certe majore cum ignominia quorumdam Philoſophorum, qui in cæno volutantur & ſordibus, cum habeant in fundo ſuo limpidiſſimos latices, quibus, minimo incommodo, lutulenta quæque & impura eluantur. His haud inaniter ſuperba principibus, quid alios jactet pariter ex ſe tamquam ex Equo Trojano profectos; Theophraſtum, qui divinitate dicendi nomen invenit; Xenophontem, cujus voce Muſas quaſi locutas ferunt; Carneadem, novæ Academiæ principem, cujus vim dicendi incredibilem admiratæ ſunt Athenæ, & Roma pertimuit; totam denique veterem Academiam, unde veluti ex eloquentiæ officina multos accepimus & Oratores & Poetas extitiſſe? Atque a Græcis ad Latinos converſa, ſi præter Ciceronem, non ſolum in fori curiæque laboribus, ſed etiam in ſtudio Sapientiæ a ſe mirifice adjutum, appellare neminem alium poſſet, nec aut Brutum annumeraret ab eodem Cicerone (5) laudatum, quod omne decus virtu-

(5) *in Br. c. 97.*

tis

tis cum ſumma eloquentiæ laude junxiſſet ; aut Catonem, perfectiſſimum Stoicum, in quo idem Brutus (6) ſummam eloquentiam agnovit ; aut Q. Scævolam, ut ſolebat dicere M. Tullius (7) juriſperitorum eloquentiſſimum, eloquentium juriſperitiſſimum ; aut multos alios e veteribus (non enim propter offenſionis periculum quemquam audeo e recentibus nominare) ſed tamen, ſi neminem præter Ciceronem appellare poſſet, an parum illuſtre exemplar nobis ad imitandum proponere videretur, nec ſatis magno patrono jus ſuum defendere adverſus eos, a quibus excluditur ab omni doctrina, & in judicia duntaxat & in conciunculas tamquam in aliquod piſtrinum compingitur ? Quod ſi non mea quidem lingua, ſed illa ipſa modo laudata Tulliana voce eloquentia pro ſe loqui poſſet ; interrogaret, opinor, Philoſophos, Theologos, Juriſperitos, aut ſi qui ſunt tandem, qui hanc dicendi facultatem in rerum magnarum ſcientia contemnant, utrum illi, quos nominavi, muneri ſuo minus ſatisfeciſſe, an vero ob eam cauſam omnes partes cumulatiſſime expleviſſe videantur, quod in eo laborarunt, ut artium dignitatem conſe-

(6) *c.* 31. (7) *l.* 1. *de Orat. c.* 39.

ſequerentur majeſtate orationis, & ſententiarum ſplendorem congruo elocutionis nitore, aptiſque ornamentorum luminibus exæquarent? Quæreret, utrum Platonis, aut Ariſtotelis ſe eſſe ſimiles mallent, qui & ea, quæ requirebant orationem ornatam, magnifice ac ſplendide, & ea, quæ ſubtiliter diſſerenda erant, polite apteque dixerunt; an illius Epicuri, qui ſæpe irridetur a Cicerone (8) quod ruit in dicendo, nec ea, quæ docere vult, ulla arte diſtinguit? Denique preſſiorem ornatum & ſeveriorem non ſolum alienum non eſſe oſtenderet a Sapientia, ſed ab ea maxime poſtulari; jacere veluti ſupellectilem complicatam, niſi eam evolvat oratio, & lumen adhibeat; tunc extare, probari ab omnibus, admirabilem eſſe, cum ejus honeſtiſſimam formam commendat *majeſtas dicendi*, *qua nihil Dii immortales melius homini dederunt*, & *qua remota*, *muta ſunt omnia*, & *luce præſenti*, & *memoria poſteritatis carent* (9). Intelligitis, Auditores, non in eam ſententiam hæc a me diſputari, ut ſi quis hanc facultatem forte non habeat, omnino a differendi ſtudio deterreatur. Nonnullos enim accepimus je-

(8) *l.* 1. & 2. *de Fin.* (9) *Quinct. l.* 12. *c.* 11.

jejune & exiliter, ut eum, quem acutiſſimum ferunt, Chryſippum, diſputaviſſe, & tamen, dummodo loquerentur plane quod intelligi poſſet, ſuis artibus & diſciplinis ſatisfeciſſe. Ne ſit igitur neceſſaria eloquentia, & poſſit veritas ſine ea explicari & defendi. Quæ res autem a nobis quæritur, Auditores, & oratione noſtra quem tandem hominem inſtituimus? Eumne, qui in arte ſua tolerabilis tantum, an qui excellens, qui eximius, qui ſummus denique & admirabilis ſit? Sordidi nos profecto, & animi parvi & anguſti, ſi in ſtudiis noſtris nihil curemus aliud, niſi quod neceſſitas flagitet. Cur enim hoc idem non facimus in ceteris rebus, & compotes jam illarum, quæ ſuppeditent uſibus neceſſariis, cur etiam illas expetimus, quæ pulcritudini ſerviant & honeſtati? Cur habitamus tam magnifice & ſplendide, ſi ſatis ſunt etiam humiles caſæ ad cœli injurias arcendas? Cur veſtibus utimur tam elegantibus & ſumtuoſis, ſi pannoſa & craſſa indumenta ad frigus defendendum ſufficiunt? Scilicet non neceſſitas tantum, ſed etiam dignitas ſpectanda eſt, ad quam natura ipſa admirabili ſuorum operum pulcritudine, varietatę, copia nos erudivit,

D hoc

Digitized by Google

hoc obſervans fere in omnibus rebus, ut eximia elegantia & venuſtas cum ſumma utilitate copulata inveniatur. Itaque non Chryſippi, nec Epicuri, ſed illorum, quos paullo ante laudavi, clariſſimorum virorum veſtigiis inſiſtens, quod præſtans atque perfectum eſt, hoc ſuadeo; nec illum informo, qui arti ſuæ ſatisfaciat, ſed qui, detractis omnibus vitiis, omni laude cumulatus exiſtat. An vero, ſi etiam homines barbari ſcholas habere audent, ſi patent Academiæ etiam illis, qui neque dilucide, neque graviter, neque abundanter diſputare poſſunt, idcirco nos hoc quod quærimus, relinquemus? Immo iſti ipſi periculo ſuo nos ſatis monent, ut ſtrenue urgeamus incœptum; & illæ ſcholæ infrequentes, illa vacua & deſerta ſubſellia perſpicue declarant, etiam in exhedris poſtulari eloquentiam, & ne res quidem bonas, niſi bene dicantur, libenter audiri. Et ſane quonam modo gratum & admirandum eſſe hominibus poteſt id, quod omnibus patet, & mihi promptum eſt æque ac tibi, ſi adire velim eoſdem fontes, eamdemque ad ea cognoſcenda, quæ traduntur inculcanturque ab Auctoribus, diligentiam conferre? Quæ enim ſciri poſſunt, pervulga-

ga-

gata ſunt omnia, & ad quamcumque artem ac diſciplinam animum applices, ſuppetunt tibi hac ætate tot libri, iidemque ſcripti tam luculenter, ut videaris potius omnium irriſione ludendus, ſi ad ea, de quibus te conſulam, reſpondere non poſſis, quam dignus admiratione, ſi omnem tuæ facultatis vim & materiam cognitione comprehendas. Quem igitur homines efferunt verbis, quem ſtupefacti differentem audiunt, quem denique in quibuslibet liberaliſſimis artibus & doctrinis principem putant? Nempe eum, qui diſerte, qui explicate, qui illuminate & rebus & verbis diſputat, id eſt, quod dico, ornate. Magnum ſane opus & difficile; ſed tamen ſuſcipiendum ſuſtinendumque viriliter; vel omnis ſpes emergendi, præſtandi quidem certe, abjicienda. Quamquam, ſit hoc ei quidem difficile, ſicut eſt, qui Rhetoricum ludum nunquam ingreſſus, ab ipſa Grammatica ad ſublime Diſciplinarum faſtigium audaci pernicitate evolarit; cui ne illud quidem, credo, continget, ut quid ornatus ſit, aſſequatur, niſi tamquam Pelias recoquendus retrorſum ad Rhetorem migret. Qui vero ſit inſtitutus liberaliter educatione, doctrinaque puerili, &, ſicut præcipit Quinctilianus,

 ra-

(10) rationem loquendi primum cognorit, tum lectione multa & idonea copioſam ſibi verborum ſupellectilem compararit, & huic adhibuerit artem collocandi, deinde hæc omnia exercitatione plurima roborarit, ut ſemper in promptu ſint & ante oculos; quid eſt, quin fretus hac facultate, alacri tandem animo ad diſſerendum accedat? Macte igitur; quid formidas? Cum enim ornatum poſtulo, non ita ſane ſum immemor illius perſonæ, quam ſuſtines, ut velim a te, quemadmodum M. Tullius in Conſulatus ſui Commentario ſe feciſſe gloriatur (11) totum Iſocratis μυροθήκιον, atque omnes ejus diſcipulorum arculas & pigmenta conſumi. Scilicet eloquentiam ſuadeo, ſed illam ſcholaſticam, non hanc forenſem & popularem, quæ feſtivo gratiarum, jocorum, venerum comitatu ſepta & inſtructa, ſi forte in auguſta Diſciplinarum adyta conatur irrepere, ego vero, ſi qui ſunt ad cuſtodiam in foribus collocati, eos excito & moneo, ut cum graviſſimo Sapientiæ ſtudio male cohærentem omnino prohibeant. Regnet illa quidem in roſtris, dominetur in concionibus, ſeſe venditet multitudini, & modo ſuavis, ut in Ly-

(10) *l. 8. in Proœm.* (11) *Att. l. 2. ep. 1.*

Lyſia, modo vehemens, ut in Demoſthene, modo tonans & fulgurans, ut in Pericle, ſemper artifex præſtigiarum ingenioſiſſima, tractet animos, irrepat in ſenſus, voluntates impellat. Nihil nobis iſthac arte opus eſt, Auditores, ad eam rem, quam paramus. Quærimus eloquentiam, quæ ſubtilia dilucide, modica polite, magna graviter dicat; quæ gaudeat ſumtu, ſed verecundo; colorem amet, ſed fuco non eminentem; bene oleat, ſed neſciat unguenta; elegans & venuſta, ſi res ita poſtulet, incompta & horridula, ſi idipſum deceat, ſed tamen ornata hoc ipſo, quod in tempore ornamenta contemnat. Quis enim Euclidis Geometrica, Ariſtoxeni Harmonica, Galeni Anatomica ac Therapeutica, aut id genus alia exquiſitis eloquentiæ coloribus imbui velit, nec veriſſime in ea cadere videat illud Manilii, de quo jam ante, *Ornari res ipſa negat, contenta doceri*? Nimirum omnibus in rebus, quæcumque dicendæ ſunt, videndum quid deceat, ne aut deformentur expolitione, quæ nihil præter munditiam deſiderant, aut deterantur incultu, quæ liberaliter ornari poſſunt & perpoliri. *Sed hic ornatus*, repetam enim cum Quinctiliano,

(12) *virilis*, *fortis*, & *ſanctus ſit*, nec ad illorum voluptatem quæſitus, quorum palato nihil ſapit præter laterculos, ſeſamum, papaveremque, triticum, & frictas nuces; ſed ad judicium ſapientum virorum elaboratus, qui, ubi maxima rerum momenta verſantur, quamdam etiam negligentiam diligentiæ tribuunt, & modum ut in vita, ſic in ſermone, eſſe optimum ſentiunt. Surgit Theologus? Nemo eſt e cordatis hominibus, quin orationem copioſam quidem & elegantem, ſed gravem, maturam, amplam, & ſucci plenam expectet, omnino matronæ ſimilem, quæ integra valetudine, optimo habitu, ſanguine & viribus niteat. Si fallit expectationem; ſi remiſſa rerum cura; tamquam ῥητορικώτερος de verbis laborat; ſi nulla ornandi ſatis ſatietas eſt; ſi denique imitatur illas meretriculas apud Plautum (13) nunquam conceſſantes *lavari*, *aut fricari*, *aut tergeri*, *aut ornari*, *poliri*, *expoliri*, *pingi*, *fingi*; quid cauſæ eſt, quin omnes clament, periiſſe pudorem, & eum qui dicit, cum iſta ſua tam delicata eloquentia (14) *Diſcipularum inter jubeant plorare cathedras?*

Ego

(12) *l.* 8. *c.* 3. (13) *in Pœn. act.* 1. *ſc.* 2.
(14) *Hor. Sat.* 10. *l.* 1.

Ego certe, ſi alterutrum ſit optandum, illam inelegantem locutionem malim, quam iſtam putidam, mollem, effœminatam; & Ciceroni facile aſſentiar de hoc ornatu ſcite & graviter pronuntianti (15) *magis offendere nimium, quam parum*. Habetis, Auditores, de tota re mihi ad dicendum propoſita plane quid ſentiam. Velitis igitur, jubeatis, uti ſuadere conatus ſum, in omnibus ſcholis, quæcumque ad rerum magnarum ſcientiam inſtitutæ ſint, non alium ſermonem eſſe, niſi purum, integrum, & latinum? velitis, locum dari eloquentiæ, quæ tueatur dignitatem Diſciplinarum, ornet ſua ſupellectile, ſplendore illuſtret, temperet ſuavitate? contra vero nimium formæ laborem, manifeſtum delectationis aucupium, calamiſtros, cincinnos, fucati medicamenta coloris, lenocinia, præſtigias, nugas omnino abeſſe? Facilis eſt ſuffragatio, ubi proponitur lex, quam qui jubere debent, ſuomet exemplo confirmant. Jubete igitur hoc ipſum quod facitis; non enim aliud, quam id quod facitis, ego optimum judico.

(15) *in Orat. c.* 22.

DE
VANILOQUENTIA SCHOLASTICA.
ORATIO IV.

Graviores artes & diſciplinæ ita tractandæ ſunt, ut rerum, quam verborum, cura ſit potior.

ELoquentia cunctis ſuffragiis veſtris anno præterito, me rogante, in omnibus ſcholis, quæ ad ſcientiam magnarum rerum inſtitutæ ſint, tum privatis tum publicis collocata, prodit rurſus in hæc comitia, ſcrupulum neſcio quem palam expoſitura, veſtra auctoritate, Auditores, facile depellendum, ſi novam legem optimorum ſtudiorum rationibus utiliſſimam ſtatuatis. In hanc enim tam illuſtrem provinciam ea conditione per vos ingreſſa, ut ornatum inveheret a ſcholaſtica gravitate non abhorrentem, & velut pudica virgo omnem ſupellectilem meretriciam cum laſcivo jocorum gratiarumque comitatu amandaret; dolet hoc tempore, hoc ipſo in regno

Digitized by Google

gno ſępe verſari magno in diſcrimine ſuam verecundiam ; & veſtræ legis auctoritatem, ſe quidem invita & graviter reclamante, impudenti quorumdam hominum temeritate & licentia violari. Jam enim eamdem in poſſeſſionem clanculum irrepſiſſe omnes veneres cupidineſque ; & ſe, quidquid procaces ſpectantium oculos allicere poſſit, ſedulo refugientem, importuna procorum benevolentia contra præſcriptum ornari ; & quod veſtram fidem maxime poſtulat, non eo ſe interim ſucco & ſanguine, quem promittere videbatur Scientiarum dignitas, ali & nutriri. Itaque ad vos converſa, orat atque obſecrat, ut aut patiamini ab exhedris ſe diſcedere, & iſta procuratione ſolutam intra oratorios cancellos, ut antea, contineri ; aut, ſi expultricem horroris ſcholaſtici, & vindicem Latinitatis ſummo ſtudio retinere velitis, profiteamini vos adjutores ſibi, & contra vanitatem illorum, qui fucata & levia ſectantur, ſinceram & ſolidam tum orationis, tum doctrinæ formam acriter defendatis. Hanc enim vaniloquentiam ne in popularibus quidem concionibus tolerari ſolitam eſſe ; nec porro alium canonem in Rhetorum ſcholis acrius frequentiuſque inculcari, quam

eum,

eum , quem maximus dicendi Magiſter M. Fabius reliquit (1) *Curam verborum*, *rerum volo eſſe ſollicitudinem*. Quare ſi in cauſa tam gravi , in qua omnium magnarum Artium atque Diſciplinarum dignitas agitur , videntur etiam aliquæ partes meæ ; ſcholaſticæ elocutionis defenſor libenti animo in certamen deſcendo , & hac eadem armatus Fabiana lege actionem inſtituo in eos, qui nugarum nondum obliti , majorem curam in verbis ponunt , quam in illis graviſſimis rebus , quas profitentur; inepti ſane, & omnium ſapientum opinione ita damnati, ut ſperare nullo modo poſſint, in hoc ornatiſſimo doctiſſimorum virorum conſeſſu patronum ſibi aliquem fore , cujus voce aut ſuffragio abſolvantur.

Atque utinam , Auditores , aut ageretur hæc cauſa apud judicem illum omnium ætatis ſuæ eloquentiſſimum L. Craſſum ; aut , quoniam vobis eadem virtutis dignitas eſt , auctoritas etiam tanta in rem litterariam permitteretur , quanta illi tunc fuit , cum cenſor edicto ſuo quoſdam Latinos Rhetores Romæ ſcholas habere incipientes in exilium ejecit (2). Senſerat vir graviſſimus , Romanam Juventutem ad eos ventitantem dediſce-

(1) *lib.8. in progm.* (2) *Agell. l. 15. c. 11.*

Digitized by Google

ſcere pæne diſcendo, nec acui ingenia, ſed obtundi ejuſmodi inſtitutione, quæ, præter exercitationem linguæ, nullam doctrinam & humanitatem dignam ſcientia exhiberet. Fuit L. Craſſus tali in re ac tempore acerbior fortaſſe, quam eloquentiæ tum primum ea in Urbe ſeſe efferentis utilitas poſtulabat; ſed tamen, ſi, eo cenſore litteratiſſimo, ne Rhetori quidem locum Romæ eſſe licuit, niſi idem eſſet vir doctus & eruditus; quid vos tandem in illum hominem ſtatui velitis, qui in ipſa doctrinæ ſede inaniter rhetoriſſet, & abjecta, aut remiſſa rerum, quæ propria ejus provincia eſt, diligentia, vano circa voces ſtudio ſeneſcat? Quid? An Oratorem, quamquam ejus pręcipua laus in ornate dicendo poſita eſt, tamen, ſi nihil afferat præter verborum vel optimorum ſonitum inanem, nulla ſubjecta ſententia, nec ſcientia, irriſione ludetis, atque adeo ne Oratorem quidem, ſed furioſum atque delirum hominem (3) judicabitis; in artium vero graviſſimarum ſtudio & tractatione verſantem, quamquam vix alia re, quam oratoriæ delectationis aucupio nobilem perferetis? Clamant profecto ſapientes viri, prædi-

(3) *Cic. l.* 1. *de Or. c.* 12.

dicant omnes ſcholæ , univerſa denique litteraria reſpublica Quinctiliani (4) voce denuntiat , nihil verborum cauſa eſſe faciendum ; verba ipſa rerum gratia reperta eſſe ; has peti ab omnibus diſciplinis ; ad has ipſamet litterarum initia , Grammaticorum labores , Rhetorum curas , tamquam inſtrumenta , quæ eo pariter provehant , omnia referri. Itaque ſiquid eſt verbis ſplendidum, figuris jucundum , magnificum translationibus , compoſitione aptum ; totum id, quidquid eſt, optimum quidem certe & pulcherrimum, tamen niſi rerum abundantia ſuffultum eſt , & magis ex earum natura ſponte profectum , quam arte quadam , præſertim confeſſa , arceſſitum ; ego vero provoco ad L. Craſſum, ſi forte impedior clementia veſtra , ne tale crimen merita judicii ſeveritate configam. An parum criminoſum videtur, nec ſatis dignum notatione cenſoria , hominem Sapientiæ partes longe graviſſimas ſuſcipientem , nec , ut ſolent Grammatici , de Patria Homeri , de Æneæ matre vera , de nomine Achillis muliebri veſte latitantis in gynæceo , ſed de arcanis naturæ , de Superum myſteriis , de officiis , de legibus dimi-

(4) *l.* 8. *in proœm.*

micantem, præpoſtera ſollicitudine adornare arma fulgentia, fortia negligere; ſudare in verbis, in materiæ agitatione frigeſcere; afſici circa periodos, oſcitare circa ſententiam; defatigari ſchematum cura, ſilva autem rerum, copia & varietate argumentorum, vi, robore, firmamentis non magnopere commoveri? Quæ iſta, malum, ſapientia eſt, vel potius loquax ſtultitia, cujus ope tueri unquam poſſis dignitatem tuæ diſciplinæ, & pro illius inſtituto facere fidem dubiis, obſcuris lucem afferre, evolvere difficilia, falſa deprehendere, complicata enodare? Age; ſi bellicum cani incipiat, & ſive in umbra, ſive in ſole & in acie ſcholaſtica de ingenio, de induſtria, de facultate denique tua dimicare neceſſe ſit, quid efficiat concinnitas illa verborum frugis expertium; quo ſe vertant illæ figuræ in Rhetorum officinis ad voluptatem elaboratæ; qualem operam navet illa ornata oratio, & artificio quodam & expolitione diſtincta; quam ubi explicaveris nullo ſatis firmo rerum præſidio quaſi robore militum circumſeptam, quivis Scholaſticus vel ex infimis ſubſelliis primo ſtatim impetu, ſi curtum ſermone rotato torqueat enthymema, tota aſtantium corona cachin-

nos

nos tollente, ita difflet, quaſi ventus folia? Vidit quidem Græcia fulgentibus armis ſplendidum, cum verſaretur in philoſophicis certaminibus, Platonem ipſum; & illi clariſſimi viri, Ariſtoteles, Xenophon, Theophraſtus, Carneades, cum item de rebus phyſicis diſputarent, Ciceronis ipſius judicio (5) eloquentes, & in dicendo ſuaves atque ornati fuerunt. Sed ille ornatus & ſplendor ad ſpeciem utique comparatus, vanam profecto & inutilem voluptatem pugnantibus attuliſſet, niſi in hoc præcipue verſata eſſet eorum cura, ut eadem arma ſpectantium oculos perſtringentia fulgore ſuo, acie item acuta & forti pervaderent hominum animos, & magna cum dignitate contentionis periculum ſuſtinerent. Itaque ſi bene ac feliciter ab iis geſta res eſt; ſi alacres ovanteſque & ſua confirmare, & adverſaria evertere potuerunt; ſi denique Philoſophi ſummi, ut erant, & acutiſſimi viſi ſunt, id totum debent ei prudentiæ & doctrinæ, quæ rerum ſollicitudine comparatur; cui cum ubertatem quoque in dicendo & elegantiam junxiſſent, tum demum effectum eſt, ut omni laude cumularentur, ſuoque in genere & eſſent & ha-

(5) *lib.* 1. *de Or. cap.* 11.

haberentur perfecti. Quid enim ad laudem admirationemque præſtantius, quam, cum optima cogitaveris, poſſe eadem graviter dicere; & majeſtatem rerum, inventorum pulcritudinem & varietatem, vim denique maximam præceptorum atque doctrinæ magnifica, ſplendida, liberali oratione complecti? Ceterum quis illum Chryſippum, prudentiſſimum Stoicum & acutiſſimum, aut reliquos ejuſdem ſectæ Philoſophos ideo contemnat, quod hanc dicendi varietatem & elegantiam conſectari noluerunt, cumque Philoſophiam integris viribus, & ſucci plenam effingere conarentur, ungues polire & capillum reponere ad curam ſuam pertinere non judicarunt? Fuiſſent illi quidem majore in gloria & admiratione, ſi ſua jam in arte præſtantes, eam inſtrumentis aliarum quoque artium locupletaſſent, & accitis ab Oratore nonnullis liberalibus ornamentis, politiores ſuavioreſque Philoſophi viſi eſſent; neglectis, Philoſophiæ nihilominus ſatisfeciſſe inveniuntur. Hinc illæ graviſſimæ voces ſunt, non a barbaris quibuſdam Scholaſticis, ſed ab ipſo omnium, quicumque latine ſcripſerunt, eloquentiſſimo & Oratore & Philoſopho Cicerone uſurpatæ: (6) *In Philoſophia res ſpectatur*,

(6) *In Or.c.16.*

non

non verba penduntur ; (7) *Omne , quod de re bona dilucide dicitur , mihi præclare dici videtur ;* (8) *A Philoſopho , ſi afferat eloquentiam , non aſperner ; ſi non habeat , non admodum flagitem*. Quod ſi ita eſt , cedat aliquando umbra ſoli , frondes frugibus, lingua prudentiæ, eloquentia doctrinæ , ſit denique in omnibus Scientiis ea prima res, qua ſublata , non dicam florere , ſed eſſe omnino ipſæ non poſſunt. Quem enim Theologum , quem Juriſperitum , quem Philoſophum , quem Mathematicum intelligimus , niſi eum, qui eximiam quamdam & ſolidam ſcientiam teneat illarum rerum , quæ iſtiuſmodi vocibus ſubjiciuntur? Nihil jam ſibi arrogent ex iſta laude locutulei, nihil aucupes ſyllabarum , nihil ῥητορικώτεροι , aut λογοδαίδαλοι , ut vocantur in Phædro a Socrate Theodorus Byzantius, Leontinus Gorgias, Traſymachus Chalcedonius , & alii multi , concinni & ſuaves oratione , rebus ipſis jejuni. Quærimus ſcilicet hominem , qui elegans quidem ſit , ſed in primis doctus , & in arte , quam profitetur , callide periteque verſatus ; qui procuderit ſibi linguam , pectus maximarum rerum & plurimarum copia com-

(7) *De Fin. l.* 3. *c.* 5. (8) *De Fin. l.* 1. *c.* 5.

compleverit; qui varia denique ſtudiorum genera amplexus, illa ſemper potiora duxerit, quæ ad ſapientiam ſpectant. Ad hanc, Auditores, ſive Theologi, ſive Philoſophi, ſive aliarum cultores artium, magno animi niſu contendere omnes debemus, nulli ſane unquam futuri, niſi hanc, non in Rhetorum arculis, ſed in puteo Democriti, improbo labore & cura exquiramus. Quantum contentionis & ſtudii in iſta perveſtiganda idem Democritus poſuit? qui, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, dicitur (9) oculis ſe privaſſe; certe agros deſeruit incultos, & ampliſſimum patrimonium neglexit. Quid Pythagoras, qui & Ægyptum luſtravit, & Perſarum Magos adiit, & immenſa pæne maria tranſmiſit, quid quærens aliud, niſi ſapientiam? cujus eximiam cupiditatem ſatis clare ſignificavit, cum, Leonte Phliaſiorum principe interrogante, qua maxime arte confideret; artem quidem ſe ſcire nullam reſpondit, ſed eſſe Philoſophum (10). Cui porro ſunt parum cogniti Platonis labores, qui non contentus ea doctrina, quam tradere poſſent Athenæ, omnes terras vel remotiſſimas, ubi aliquid

(9) *Cic. l. 5. de Fin. c. 29.* (10) *Cic. Tuſc. 5. c. 3.*

diſci poſſet, ſibi peragrandas putavit? Cui non auditæ vigiliæ Ariſtotelis, qui ſomno ſic utebatur, ut machina ad id comparata quam citiſſime ad intermiſſa ſtudia ſapientiæ repetenda ſuſcitaretur? Cui denique nova aut intentio Archimedis in ſummo patriæ captæ tumultu non ante a deſcriptionibus Mathematicis, quam a vita depulſi? aut aſſidua commentatio Carneadis, in naturæ contemplatione ita defixi, ut, cum cibi capiendi cauſa diſcumberet, manum porrigere in menſam obliviſci ſolitum narrent? aut invicta Zenonis conſtantia (11)

Quem non acris hiems domuit, non frigidus imber,
Non ſolis radii, non vis teterrima morbi,
Non quidquid vulgo pretioſum, invictus at unus
Inſtabat gravibus ſtudiis noctesque dieſque?

Quid ego nunc ceterarum artium inſtitutores & magiſtros recenſeam? quorum eximium ardorem ſtudii, & curam ſapientiæ admirabilem ac ſingularem ſatis declarant ii libri, quos ediderunt, non inanibus verbis, ſed maximis & graviſſimis rebus ita abundantes, ut prodigio ſimile videatur, homines tam exi-

(11) *Laert. in Zenone, Ambroſ. interpr.*

exiguis vitæ terminis circumſcriptos, tantam prudentiæ vim colligere potuiſſe, & rem litterariam tot tamque uberibus copiis locupletare. Quin igitur erigimus animum etiam nos ad ſimilem laudem, & bene loquendi rationem, & firmam quamdam facilitatem jam aſſecuti, pleno tandem gradu ad ſapientiam ipſam ex illo, quem dixi, Democritico puteo emicare incipientem contendimus, & qua Philoſophorum libris; qua voluminibus Theologorum, qua Juriſprudentium codicibus perſcrutandis, tantam nobis conficimus cognitionem & ſcientiam, quantam ingenia noſtra maxime exoptent? Noſtra eſt enim illa omnis prudentia & doctrina, quam litterarum monumenta cuſtodiunt; noſtra illa tam lęta ſeges veterum & novorum ſudoribus alta & nutrita, ſi modo eam quaſi agricolæ induſtrii in noſtros hortulos transferamus. An non pudeat, inventis tot frugibus, & palam propoſitis, te inopia & egeſtate pæne conſumi; & cum poſſis, quantum appetas, tollere ab iis, qui domeſticas opes publici juris eſſe voluerunt, tamen inſtrui tantula ſupellectile, quæ neceſſariis uſibus vix ſufficiat? An parum turpe & abſurdum, eſſe adhuc multa in natura, & quidem ab

aliis explorata & cognita, quæ Phyſicus neſciat; nutare ſæpius Theologum in cœleſti doctrina; hæſitare frequenter Juriſperitum in inſtitutis & legibus; Mathematicum, Geometram, Medicum ea, quæ ad Rhetorem pertinent, naviter expedientem, in iis quæ ſunt artis propria, aut eidem affinia, titubanter verſari? Fuit quondam tempus, fuit, cum licuit ſine ignominia quædam neſcire; quod ea ſciri nequaquam poterant, niſi invenirentur, & tanta erat difficultas inveniendi, ut ille acerrimo vir ingenio Pythagoras, cum in Geometria novi quiddam repeririſſet, gratulationis cauſa Diis litterarum præſidibus bovem ut ajunt, (12) immolandum putarit. Nunc quid illuſtrius iis artibus, quibus liberales doctrinæ continentur? ad quas excolendas & adjuvandas tot tamque ingenioſi & induſtrii homines confluxerunt, ut videatur humana acies omnes rerum cognoſcendarum fibras introſpexiſſe rimando, aut certe divino quodam conſilio fore ſemper occulta & impervia, quæ a latebris vetus & recens ætas nondum extruſit. Itaque jamdiu nobis obſtructi ſunt omnes aditus ad patrocinium inſcitiæ, nec ulla naſcen-

(12) *Cic. l. 3. de Nat. Deor. c. 36.*

ſcendi ætas, hac quidem in parte, felicior quam noſtra, cui docendæ ſuppetunt undique comportata tot adjumenta, quot in ampliſſimis quibuſque bibliothecis videmus, quæ propter infinitam eorum multitudinem qui ſcripſerunt, ita refertæ ſunt omnis generis eruditione & doctrina, ut ſive ad humanarum, ſive ad divinarum rerum cumulatam ſcientiam adipiſcendam, nihil deſideretur aliud, niſi ut iſtæ pretioſiſſimæ quaſi merces, noſtra negligentia & incuria, blattarum & tinearum epulæ, non putreſcant. Has igitur diu noctuque contrectare debemus, & iſtis clariſſimorum virorum immortalibus monumentis nihilo ſegnius, quam Themiſtocles Milciadis trophæis excitari; ut ſi maxima ex parte inveniendi laudem aliena nobis præripuit induſtria, ſaltem cognoſcendi cupiditatem iſta ipſa opportunitas tanta vehementius inflammet. Hinc porro exiſtit illa abundantia rerum, quam jamdiu poſtulo; in qua omnis optimorum ſtudiorum ratio & dignitas nititur; quam homines, ubicumque ſe offerat, ſtupefacti intuentur; qua denique (ne mihi diutius obſtrepant loculei) illa ipſa eloquentia, cujus adumbratam quamdam & falſam imaginem jactant,

 mi-

mirifice delectatur, aridula profecto, nuda, & inermis, niſi præcipue his opibus adjuvetur. Unde enim omnis ubertas & quaſi ſilva dicendi, niſi ex hoc fonte profecta eſt? quem quidem veteres Oratores tam avide appetiverunt, ut nihil impenſius curaſſe videantur, quam ut omnes Philoſophorum ancipites vias rationeſque cognoſcerent, & per ea ſpatia, tamquam per curricula multiplicium variorumque ſermonum, ad eloquentiam ipſam, quæ nihil aliud tandem, niſi copioſe loquens ſapientia eſt (13) pervenirent. Atque ut nihil dicam de Pericle, quem in Phædro Platonis hoc præſtitiſſe ceteris dicit Oratoribus Socrates, quod is Anaxagoræ Phyſici fuerit auditor; ut omittam Demoſthenem, quem ex genere & granditate verborum colligit M. Tullius (14) non ſolum lectitaviſſe Platonem ſtudioſe, ſed etiam audiſſe; ut de ceteris denique Græcis Oratoribus excellentis cujuſdam doctrinæ gloria præſtantibus taceam; quænam res alia, Auditores, Ciceronem ipſum nobis, & omnibus amœniorum litterarum amatoribus expolivit, niſi admirabilis quædam vis cognitionis & ſcientiæ, in quam, audiendis cla-

(13) *Cic.Partit.c.*23. (14) *In Bruto c.*31.

clariſſimis illius ætatis Philoſophis, Philone, Diodoro, Poſidonio, aliiſque, tam ſedulo incubuit, ut cum aliis in locis, tum præcipue in libro ad M. Brutum (15) profiteri non dubitet, ſe Oratorem, ſi modo ſit, aut etiam quicumque ſit, non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatiis extitiſſe? Quare iſtum ipſum ſibi aliquando ad imitandum proponant homines ii, quorum palato nihil ſapit niſi conditum melle Ciceroniano, & ejus exemplo optima ſtudia & graviſſima capeſſentes, ita demum in illis verſentur, ut non modo verborum curam, ſed etiam rerum ſollicitudinem ex eodem magiſtro didiciſſe videantur. Ament hi quidem munditiam & elegantiam, & ſeu loquuntur, ſeu ſcribunt, ſemper id faciant, ſi poſſint, ornate & rhetorice, ſed illa rhetorica Philoſophorum, quæ multum differt a populari, quæque hoc ipſo videtur ornatior, quod in tempore oratoria ornamenta contemnit. Reſpiciant dignitatem perſonæ quam ſuſceperunt, & nolint ejus commendationem ducere ab eo, quod ſi deſit, a nemine flagitetur; ſi adſit, tamdiu probetur, quamdiu res ipſæ, quarum cauſa quæſitum

 ſit,

(15) *cap.* 3.

ſit, dignæ approbatione inveniantur. In has conferant ſuam diligentiam, ſibique perſuadeant, has, perinde ac mulieres, nonnunquam deteriores fieri ipſo formæ labore; aut tamquam feraces ſegetes læto gramine ſuffocari. Vos autem, Adoleſcentes (veſtra enim cauſa hæc a me hactenus dicta ſunt) cur doletis, illa velut mellita fercula, quæ vobis Rhetores & Poetæ apponere conſueverant, apud Dialecticum, Theologum, Juriſperitum non reperiri? Majora ſunt, quæ palatum vobis exacuant, non cruſtulis & bellariis, ut antea, ſed opiparis epulis atque obſoniis tergendum. Adjeciſtis animos veſtros ad ſtudia ſapientiæ; cur ab hac remigratis ad nugas, & illa diſcitis etiamnum, quæ jam didiciſtis? Vobis eſt ſermo purus, emendatus, latinus. Quid vultis amplius? An compta quæritis & fucata muliebriter, quæ ſapientiam ipſam nativa formæ ſuæ dignitate luculentiſſime ſe commendantem corrumpant? Agite quod agendum; &, ſi alterutrum vobis (quod minime velim) optandum ſit, facite, auctore Tullio (16) ut malitis *indiſertam prudentiam*, *quam ſtultitiam loquacem*.

(16) *lib.* 3. *de Orat. cap.* 35.

DE

Digitized by Google

DE SECTIS PHILOSOPHORUM.

ORATIO V.

In Philoſophia nulla præcipue ſecta eligenda eſt.

SI unquam antea ſtudioſi Juvenes meam qualemcumque operam ſibi in arduo ſuſcepto itinere non inutilem judicarunt, hoc certe difficillimo tempore, quo, politioris Humanitatis curriculo jam emenſo, in ampliſſimam Scientiarum provinciam ingredi debent, meam fidem enixe implorare videntur, & quaſi ad remotiſſimas ignotas oras e patrio litore profecturi, pro jure quodam ſuo poſtulare, ut diligenter præcipiam viarum rationem & tempeſtatum, quas multo ante minime placida novi æquoris facie territi reformidant. Feriunt enim illorum aures diſſonæ quædam voces atque tumultuoſæ, quæ de Veteribus Junioribuſque varie jactantur; & quocumque convertant oculos, tamquam ex ſpecula vident,

dent, fere omnia ſtudio partium, factionum diſſidio, varietate opinionum, Sectarum denique quaſi fluctuum inter ſe collidentium conflictatione turbari. Quid enim, aut quem ſequantur in Philoſophia? cujus veſtigiis inſiſtant in Aſtrorum Scientia? quibus denique ducibus in Theologia, aliis alio invitantibus, ſe committant? Ego vero, quamquam noſtræ fidei traditos Adoleſcentes in re tam gravi errare minime velim; tamen in quæſtione de Secta eligenda, recte judicandi rationem tam difficilem judico, ut nihil pronuntiare auſim, niſi idem pæne quod Socrates (1) cum interrogatus a Xenophonte, ſequereturne Cyrum, ad Apollinem cenſuit eſſe referendum. Quamquam quid opus eſt, ut reſponſa petant ex tripode, & excitantes, ut dicitur, fluctus in ſimpulo, tanta ſollicitudine & cura de Secta laborent? Deligant quamcumque velint; immo, ut aperte dicam tandem quod ſentio, ne deligant quidem, nec ullam omnino ſic amplectantur, ut ad eam, quemadmodum illi Philoſophi, qui ſæpe deridentur a Cicerone (2) tamquam ad ſaxum quaſi aliqua tempeſtate delati adhęreſcant. Bono igitur animo ſint,

&

(1) *Cic. l. 1. de Divin. c.* 54. (2) *Acad.* 4.

& Scientiarum primordia, quod bene vertat, a Philoſophis rite capturi, ita ſe comparent ad eorum inſtitutionem, ut tamquam judices incorrupti audiant omnium ſententias; non hominum fama, non ſtudio partium, non rurſus odio, aut invidia moveantur; nullis denique ullius diſciplinæ legibus adſtricti, quibus neceſſario pareant, libere ſequantur id, quod verum eſſe, aut vero proximum putent. Hanc ego viam, Auditores, tutiſſimam omnium & probatiſſimam, huic Juventuti ad Phyſica properanti fidenter præſcribo, alacriter pugnaturus pro libertate, de qua gloriatur Horatius (3) *nullius addictus jurare in verba magiſtri*.

Nihil eſt, quod ab hominibus expetatur ardentius; nihil rurſus, quod ſumme expetitum, difficilius obtineatur, quam ſcientia veri. Rapimur ad illam omnes nullo emolumento invitati, & ejus cauſa vacamus litteris, laboramus in artium ſtudiis, a contemplandis rebus perquirendiſque nec fame interdum, nec ſomno, nec valetudine deterremur. Illa vero multis obſtructa difficultatibus, & in puteo, ut ajebat Democritus, demerſa & abſtruſa, raro facit homini-

(3) *lib.* 1. *epiſt.* 1.

nibus copiam ſui ; quibus tamen ſimilem quamdam ſpeciem offerens e longinquo , adjicit ſemper animos , ne , diffiſi invenire ſe poſſe quod cupiunt, exquirendæ veritatis ſtudium relinquant. Ab ea certe indaganda nulla defatigatione removeri potuerunt ii, quos Phyſicos nominamus , qui etiam majorem ſpem , quam tanta res pateretur , habuiſſe mihi videntur , & blanda quadam perſuaſione decepti , perinde exultaſſe , quaſi revera compotes eſſent admirabilis illius ſcientiæ , quam aſſequi vellent. Quid enim tot editis libris de omnibus rebus , quarum cauſæ dignæ erant indagatione ; quid tot inſtitutis gymnaſiis ad explicandam obſcuritatem naturæ ; quid iis familiis , quarum ſe duces ac principes profitebantur ; quid , inquam , aliud denuntiare voluerunt , niſi ſe omnes latebras perſcrutando , eo jam evaſiſſe, ut veritatem in profundo latentem & occultatam deprehenderent , deprehenſamque publicæ utilitatis gratia in apricum proferrent? Ac ſi ſummis eorum ingeniis & maximis ſtudiis revera effectum eſt quod gloriantur , quid ego diutius patior , hanc Juventutem veri cognoſcendi ſtudio flagrantem , incerta ſpe cæcaque expectatione pendere? Advolet jam , ſi

ſi ita eſt, ad hos veritatis magiſtros ſine ullo metu; eligat ex his ducem quem maxime velit; adamet, complectatur, deoſculetur; & cui ſemel fidem obſtrinxerit, me non modo non repugnante, ſed etiam ſuadente, nunquam ab ejus veſtigiis ne latum quidem unguem diſcedat. Sin vero iſti ipſi, ingenioſiſſimi ſane homines & doctiſſimi, tamen, quæ & in ipſis rebus obſcuritas, & in judiciis noſtris infirmitas eſt, ſæpe a veritate aberraſſe inveniantur; quid eſt, quin pro ſuſcepto monendi munere clare edicam, eorum veſtigia temere perſequi non licere, minimeque integrum eſſe, abdicata omnes conſulendi libertate, eligere ducem unum, unique penitus deſtinari? Veniamus igitur ad Philoſophos, & eorum doctrinam, quæcumque tandem ea ſit, non obtrectandi ſtudio, ſed nobis proſpiciendi cauſa, excutiamus. Ecquam rempublicam, Auditores, tanto hominum ſeditioſorum diſſidio vexatam unquam fuiſſe accepimus, quanta ſuorum contentione & diſcordia turbatam videmus Philoſophiam? recte a Boethio (4) deſcriptam Matronæ indignantis ſpecie, & ea veſte, quam *violentorum quorumdam ſciderant manus, & parti-*

cu-

(4) *lib. 1. pr. 1.*

culas quas quiſque potuit, *abſtulerant*. Felicibus hæc auſpiciis ab Ægypto & Phœnicia in Græciam delata, ingenioſorum hominum ſtudiis florere vix cœpit, & hinc per Thaletem Mileſium, illinc per Pythagoram Samium propagari, cum, oborta ſubito ſeditione, in medium venere Academici, quaſique turbulenti quidam tribuni commovere cœperunt omnium ſtudia; obnuntiare legibus Dogmaticorum; reſcindere eorum ſententias; omnia, uno verbo, ad opinionem referre. Illi enim profitebantur, ſe multa ſcire; iſti contra (auctore Socrate ejuſque diſcipulo Platone) negabant ſciri quidquam poſſe, habebantque pro ſuo inſtituto dubitare de omnibus rebus, nihil affirmare ipſi, refellere alios, deſperataque cognitione certi, ſiquid veriſimile videretur, id ſequi. Sed hæc ipſa nova ratio Philoſophiæ quam vehementi repentino motu concuſſa eſt & everſa, cum flumen orationis aureum fundens Ariſtoteles, ipſum Platonem magiſtrum ſuum refellendum ſuſcepit, & relinquens Socraticam dubitationem, & nulla affirmatione adhibita conſuetudinem diſſerendi, animoſe multa affirmavit, & admirabili quadam ingenii abundantia præditus plenam illam & refertam

tam

tam formulam diſciplinæ compoſuit, quæ una ex omnibus, quas nominavi, poſt variam fortunam uſque ad nos propagata, inter ipſos infeſtorum armorum ſtrepitus reſonat in Academiis, & firmo ſuorum præſidio ſepta, contra acerrimos Juniorum impetus ſe defendit? Quanta enim utrinque animorum contentione & conſtantia adhuc geritur bellum, quod jam inde a temporibus Ludovici Vives & Franciſci Baconi de Verulamio inchoatum, ſummis tandem viribus inſtaurarunt Petrus Gaſſendus & Renatus Carteſius; quorum alter Antiquorum veſtigia non magnopere conſectatus, novam Philoſophiæ formam invexit; alter obſecutus Antiquitati, veterem illam & jam obſoletam inſtitutionem Epicuri & Democriti renovavit? Age nunc, ex tam variis tamque inter ſe diſcrepantibus Philoſophorum Sectis (omitto enim ceteras pæne infinitas) quæ tandem ea eſt, Auditores, ad quam futurus Philoſophus deducatur? An Pythagorica? Clamant omnes ſcholæ, jamdiu cornicum oculos eſſe confixos, nec talem eſſe rationem horum temporum, ut ad ægroti veteris ſomnia, interdicta contradicendi facultate, ſilentium contineatur, aut, quaſi ad oracula

Apol-

Apollinis, illud celeberrimum quondam, *ipſe dixit*, uſurpetur. Num Academica? Inſurgunt omnes Dogmatici, & inutilem eſſe convincunt iſtam Philoſophiam, in qua ubi multa in utramque partem copioſiſſime diſſerueris, idem ipſe tandem concludas, te nihil ſcire. An Peripatetica? Urgeris Juniorum omnium convicio, qui ſophiſticam illam philoſophandi formam ad eos amandant, qui commentis & fabulis delectantur, & Superum fidem hominumque obteſtantes, Noſtra, inquiunt, ſola vera ſunt. Certe ſola, ſi vera; plura enim vera diſcrepantia eſſe non poſſunt. Sequamur ergo juniores Philoſophos; licet ne? Negant veteres omnes, & magnis clamoribus iſtam laudem deberi ſibi contendunt. Sua enim vera eſſe Peripatetici; ſua Platonici; Democritici, Stoici, Pythagorei, ſinguli & univerſi vera eſſe ſua. Quibus igitur credas? In tanta magnorum hominum diſſenſione, utrum nos imprudentes ſumus, qui audimus omnes, ſed fidimus nemini, an illi incauti, qui credunt uni, ceteros ſpernunt? Nondum quæro, quam turpe ſit, tam iniqua judicia exerceri in Philoſophia, ut ſapientiſſimi viri, optimeque de univerſa litteraria republica meriti,

ob

ob eam rem, quod cum illo auctore tuo & magiſtro non concinunt, indicta cauſa damnentur. Hoc quæro; cum de iiſdem rebus alii aliter ſentiant, & plus uno verum eſſe non poſſit, videturne ejus hominis eſſe, qui labi nolit, ſe ad unius, qui primus occurrat, auctoritatem conferre, uni tamquam Deo & fallere & falli neſcio omnia credere, omnia ab uno præſcripta & quaſi imperata defendere, uni denique, antequam exploratis aliorum ſententiis judicare potueris, quid optimum eſſet, obligari & adſtringi? Quid ſi iſte, quem unum probes, non vitio ſuo, ſed ut jam dixi, & obſcuritate rerum, & humani judicii infirmitate deceptus, ſæpe mentiatur? Quid ſi quis alius in eo, in quo iſte deceptus ſit, acutius videat, & rem, ut dicitur, acu tangat? Age, conſule, interroga. Hic non ſatisfacit? ad alium migra. Veritas quæritur; quæ ſi ab aliquo inventa eſt, cur non omnes tamdiu excutiantur, dum teneatur is, a quo eſt inventa? Nugæ, inquit. Magiſter electus, fides obſtricta, quidquid præſcribitur, defendendum. Heus, etiam falſum? Vereor, Auditores, ne in lubricum ſane locum delapſus, ejuſmodi confeſſionem invitus extor-

queam interrogando, quam a ſtudiorum veſtrorum ratione valde abhorrentem, non dico animo ferre, ſed auribus accipere non poſſitis. Quamquam cui non audita præteritorum temporum labes (malo enim offenſionis metu de quibuslibet aliis hominibus dicere, quam de noſtris) cui, inquam, labes illorum temporum non audita, cum omnes ſcholæ uni Ariſtoteli, homini ſummo illi quidem, &, ut veriſſime prædicatur a Cicerone, (5) in Philoſophia prope ſingulari, ſed tamen homini, tanta religione conſecrabantur, ut ei mallent aſſentiri etiam quæ probare non poſſent, quam ab eo diſſentire? Quo enim acerrima veterum Scholaſticorum ſtudia ſpectarunt, niſi ut Ariſtotelis ſententiam exprimerent ab Arabicis interpretibus; quam aſſecuti, vera ne an falſa, acciperent communiter pro veriſſima, & cum in privatis tum in publicis certaminibus ſicut caput famamque ſuam ſuſtinerent? Itaque ſolus Ariſtoteles per ea tempora totam pæne litterariam rempublicam regere; ab Ariſtotele peti naturæ arcana; Ariſtotelis auctoritate res ipſæ Theologicæ, quæ quidem ambigi poſſent ſine piaculo, judicari; quid-

(5) *Acad.* 4. *c.* 43.

Digitized by Google

quidquid tandem in quæſtionem veniret, deferri ad Ariſtotelem, & mira conſenſione animorum illud videri & eſſe omnibus verum, quod Ariſtoteli videretur. Perierat jam in Italia ingeniorum libertas, niſi ejus vindices extitiſſent viri clariſſimi, Picus Mirandulanus, Franciſcus Patritius, & qui unus eſt inſtar omnium, Galileus Galilei, qui longe ceteros & ingenio ſuperans & diligentia, excuſſo tam ſervili jugo, ad ſeveriores Staticæ & Mechanicæ leges revocare cœpit rerum naturam, & quamquam ipſe non immunis errorum, tamen manifeſte oſtendit, erraſſe aliquando Sapientes illos, in quorum auctoritate Scholaſtici deliteſcerent, & in regno naturæ alias regiones eſſe ac provincias præter eas, quas accuratiſſima alioquin & maxime perſpicax rerum indagatrix Antiquitas inveniſſet. Exhorruit, credo, attonita præ admiratione tota Philoſophia, & ſenſit, quam vaſtis finibus ſeptum teneatur imperium naturæ, cum primum ſplendidas illas merces & opes vidit, quas juniores Philoſophi, commoti jam & adjuti illo omnium facile principe Galileo, tamquam ex novo orbe poſt longam indagationem invento ad nos detulerunt. Vidit auctum repente novis

ſideribus cœlum, novis regionibus terrarum orbem, novis artibus & diſciplinis litterariam rempublicam, univerſam denique ſocietatem humanam novis præſidiis & adjumentis cum ad ingeniorum uſus, tum ad vitæ neceſſitates opportuniſſimis locupletatam vidit; videbitque majora in dies, ſi in hominum animis hic eximius naturalium rerum perſcrutandarum ardor non deferveſcat. Poteſtne quiſquam interim, niſi hebetes oculos, & ſenſus ad omne veritatis genus occluſos habeat, novam hanc ſupellectilem intueri, quin ea victus irrideat Scholaſticos, ſi qui ſunt, qui in tanta Juniorum luce, nihilominus aut magiſtri, quem primum audiverint, oratione capti, aut obſecuti conſuetudini ejus loci, in quo vivunt, ſolos Veteres ſequantur & colant, & quidem veneratione tanta, quantam illi ipſi, ſi viverent, a nobis repetere non auderent? Quis enim ex eo numero non gauderet nuper inventis, non hinc ſumeret ſibi multa, non damnaret aliqua eorum, quæ tamen cum pertinacia defenduntur a ſuis, non denique fateretur, vitio temporum, & præcipue experimentorum inopia, ſibi quædam excidiſſe, quæ a ſe dicta, & ſempiternis littera-

rum

rum monumentis tradita minime vellet? Quare comprimantur illæ voces veteribus Scholaſticis uſitatæ, *nihil dicendum eſſe* (utor enim eorum verbis) (6) *ſecundum opinionem propriam, ſed juxta poſitiones Peripateticorum*; & ab hac tyrannica pæne dixerim ſervitute per noſtros homines vindicati, libertatem retineamus, reputemuſque *anguſtæ mentis eſſe* (quod Picus ajebat) (7) *intra unam Porticum aut Academiam contineri*. Quonam igitur tandem in loco, inquiet aliquis, Juniorum virtute ad tantam laudem ſeſe efferente, antiqui Philoſophi habendi ſunt? Dicam clare, Auditores, quod ſentio, ne cui forte videatur oratio mea vel tantillum detrahere hominibus, quos pro dignitate ne laudare quidem ſatis commode poſſim. Habeantur Auctores optimi, ut ſunt, acutiſſimi in inveniendis rebus, acerrimi in judicandis, præſtantiſſimo ingenio, maxima diligentia, ſingulari doctrina; ſed homines tamen, hoc eſt obnoxii errandi periculo, quique omnem naturæ vim, incredibilem ſane & pæne infinitam, ſua mente, quamvis admirabili, complecti non poſſent. Idem ferme, ſi quis interroget, de noſtris dixero,

(6) *Alb. M. Com. in Ariſt.* (7) *Apol.*

quorum vitia faciunt, ut homines; eximiæ virtutes, ut homines ſummos & admirabiles putem. Ita, quia tum veteres, tum recentes optima dicunt, utroſque audiam; quia nec veteres nec recentes ſupra homines ſapiunt, neutris temere aſſentiar. Satiſne videor, dum ita diſputo, & magnorum Virorum gloriæ, & horum Adoleſcentium, qui ſe illis in diſciplinam tradere cupiunt, utilitati ſervire? Quid enim tam honorificum inventoribus parentibuſque Philoſophiæ, quam omnes in omnium manibus promiſcue verſari; ſuum omnibus locum eſſe in qualibet Academia; ab omnibus ſumi ea, quæ optima videantur; omnes denique, remoto ſtudio partium, quo in animis dominante integra eſſe judicia non poſſunt, omnes, inquam, ſeu veteres ſint ſeu recentes, & defendi ſine pertinacia, & ſine iracundia refelli? His vero, qui ſibi acquirere magnarum rerum admirabilem quamdam ſcientiam deſiderant, quid poteſt eſſe tam fructuoſum, quam, velut in maxima nundinarum celebritate, ad clariſſimas quaſque officinas, ut ita dicam, Philoſophorum divertere, & ſi quid in Platonica pulcrum, ſi quid melius penes Ariſtotelem, ſi quid magis utile apud Car-

Carteſium, Neutonum, aut alios proſtet, unde, quantum, & quo modo videatur, accipere? Quæ enim tandem ſunt iſtæ opes, quantulæ, quam anguſtæ, quas ab uno tantum accipias; aut ſi copioſiſſimæ ſint, qui tamen ſcias pretioſæne an viles, integræ an corruptæ, ſinceræ an falſæ, niſi cognoſcas reliquorum merces, niſi ſingulas ſingulis conferas, niſi quæ maxime emineant, quæ probari poſſint, quæ rejici debeant, examinatis omnibus excuſſiſque, perſpicias? Age porro qua audacia, gnarus unius ſectæ de ceteris judicaveris; accuſaveris falſi crimine Auctores graviſſimos, quorum nihil noveris præter nomen; ſpreveris adverſarios, quorum vim, robur, arma non ſenſeris, aut nunquam pugnare ſolitus, aut ſolum adverſus umbras, athletarum more cum exercentur, qui quaſi hoſtem cædentes, in aerem calcitrant, & pugnis inanem plagam infligunt? Nam ut illud concedam, ſectæ unius firmamento etiam ea contineri, quibus contraria evertantur; tamen parumne intereſt, utrum in adverſarium præſentem arma diſtringas, an in abſentem; cum ipſo, an cum ejus imagine congrediaris; ipſum ſentias, quanta quanta eſt, magnitudine vi-

rium & robore pro ſe dimicantem ; an tibi ipſe pro arbitrio tale quidpiam fingas puerorum turriculis ſimile, quas illi infirmas de induſtria & debiles parant, ut primo ſtatim impetu corruant? Sed jam ſatis multa. Quamquam ad illos quidem commovendos nimis hercle pauca, qui aut inveterata conſuetudine, aut ſcholæ ſuæ quadam lege, aut quia ſumus omnes tenaciſſimi perſuaſionum, quas a teneris alte in animo impreſſimus, quamcumque diſciplinam infirmiſſimo tempore ætatis amplexi ſunt, ſic ad eam adhæreſcunt, ut nullo modo divelli poſſe videantur. Ceterum ecquis eſt, modo vacuo ſit animo & libero, qui malit eſſe unus ex antiquis illis Scholaſticis uni ſectæ ſerviliter mancipatis, quam eſſe ſimilis Viris hiſce graviſſimis, quorum ego præſentia delector, & moveor auctoritate, ut non alia ſtudia quotannis præcipiam huic Juventuti, quam quæ his maxime probari ſentio? qui profecto non in uno aut altero, ſed in optimis quibuſque Phyſicarum rerum Scriptoribus egregie verſati, ſolertiſſimas apes imitari mihi videntur, quæ ſuccum ex variis floribus exprimentes, ſuaviſſima tandem mella conficiunt. Utinam noſtris Adoleſcentibus eamdem iſtam

in-

ingenii vim ad res intelligendas, & prudentiam ad judicandas Superi tribuant; quam tamen cum pro meo erga illos ſtudio optare nunc magis queam, quam pro infirma illorum ætate ſperare; hoc unum ab iis poſtulo hac oratione, ut nullis ſaltem præjudiciis occupati ad philoſophandum accedant. Ament Ariſtotelem, ſed ejus admirabili ingenio capti Juniores Philoſophos non contemnant. Sint amici Junioribus, ſed eorum diſputationibus ducti nuntium Ariſtoteli non remittant. Ferant ſemper in oculis veritatem, nec univerſam hominis unius ſcientia comprehenſam, ſed, quemadmodum ſcite monet Lactantius (8) *per Philoſophos & ſectas eſſe diviſam* putent. Moveantur illa ipſa, quam vident, diſſenſione tanta Philoſophorum, ne cui temere credant. Meminerint, libera eſſe judicia oportere; & aſſenſum, quem magiſtri auctoritas exprimat, non eſſe ſcientiam, ſed fidem. Amore tandem & odio vacui ita accedant ad judicandum, ut parati ſint, cum aliquid approbaverint, mutare ſententiam, ſi alia vicerit melior, nunquam facturi ſimilia iis, qui *turpe putant, quę imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.* (9)

(8) *lib.* 7. *c.* 7. (9) *Hor. l.* 2. *ep.* 1.

DE

DE PHILOSOPHANDI RATIONE.

ORATIO VI.

Philoſophus debet in Veterum Juniorumque doctrina promiſcue verſari.

DE Philoſophis conatus ea dicere anno præterito, quæ huic Juventuti fore utiliſſima viderentur, redeo etiamnum ad Philoſophos, clarum mehercule genus hominum, & plane dignum, cui non gravate nova diecula concedatur. Non enim ſuperiore oratione niſi uni philoſophantium generi, hoc eſt modeſtioribus quibuſdam hominibus, ſatisfecimus, quibus incertis quam potiſſimum ſectam in tanto earum numero & varietate ſequerentur, integram per omnes excurrendi poteſtatem permiſimus, vindiceſque philoſophicæ libertatis, diſſolvimus vincula earum legum, quibus adſtricta quondam ſequiora ſæcula ſuperſtitioſe paruerunt. Supereſt genus alterum, & quidem ab illo, de quo jam

jam dixi, tam longe diſtans, quam procul abeſt a pudore arrogantia. Sunt enim priores illi tam verecundi, ut ad quem primum ducem aut caſu aliquo, aut ſua voluntate delati ſint, nunquam ab ejus veſtigiis ne latum quidem unguem diſcedere auſint; iſti contra tam impudentes, ut ducem pati neminem poſſint, & novitatis ſtudioſi malint affectare devia, quam trita ſectari. Quid nos interim, Auditores? An timidioribus addemus animum, & exſolutos ſacramento & religione ejus ſectæ, in cujus ſe auctoritatem contulerint, jubebimus libere philoſophari; liberiores vero ſolutioreſque ſinemus præcipites ferri, nec adhibito freno, eos a licentia, aut potius temeritate, avertemus? Magnum vitium profecto, & ſi quidem funeſtos exitus præcavere debemus, tanto majore ſollicitudine, ſicubi deprehendatur, aut omnino opprimendum, aut certe caſtigandum moderandumque, quanto magis lubrica ſunt ea curricula, quibus Philoſophi inſiſtunt. Quare ſi quid ego fretus auctoritate loci hujuſce graviſſimi in publicam utilitatem conferre poſſum, conabor eos ab errore in rectam viam atque tutam deducere, & hinc Antiquorum, illinc Juniorum am-

plif-

pliſſimis in Philoſophiam meritis ob oculos poſitis, hoc demum evincere, ut vel ipſi ultro fateantur, ſe in itinere tam difficili, quam quod maxime, utrorumque ope & auxilio omnino indigere.

Atque ut a Veteribus incipiamus; quis malus genius hunc perditum morem haud ita pridem in ſcholas invexit, ut non modo his gratia non tribuatur, quod tanto ſtudio & labore muniverint nobis viam ad ſapientiam, ſed probra in eos & convicia perinde jactentur, quaſi tortuoſis quibuſdam anfractibus nos ad ſtultitiam perducant? Regnant fere in omnibus Academiis acutuli quidam homines, qui primam ſuæ facultatis commendationem ducunt a reprehenſione Antiquorum, ſuoque ipſi ingeniolo nova ſyſtemata comminiſcentes, tanto majorem ſe induſtriæ laudem referre arbitrantur, quanto a doctrina ab illis tradita longius diſcedant. Itaque in Phyſicam veniunt fidenter ipſi tamquam in poſſeſſionem vacuam, & hac arte graſſantes ad famam, ſe non Pythagoricos, non Platonicos, non Ariſtotelicos eſſe gloriantur, ſed ablegatis omnibus ducibus cujuſcumque ætatis, cujuſcumque ſectæ, ita prorſus philoſophari, ut æmulentur picto-

ctorem illum Eupompum (1) qui interrogatus quem ſequeretur antecedentium, Naturam ipſam, reſpondit. Egregiam ſane ducem & magiſtram, quis neget? Sed heus tu, nonne naturam ſecuti ſunt ii Philoſophi, ad quos te remitto? qui ſi maximis ſtudiis ſuis veram ejus, aut veriſimilem formam & vim expreſſerunt, quid eſt cur a te non probentur? ſin vero falſam, cur ita probas te ipſum, quaſi ſolus in communi omnium, & quidem ſummorum virorum, errore minime erres? Nondum quæro, cujus hominis ſit, marte ſuo naturæ arcana perquirere, ſcrutari ejus latebras, indagare receſſus, omnes denique aditus perluſtrare, tam cæcos mehercule, tamque multis obſtructos difficultatibus, ut non ſine cauſa, quod ait M. Tullius (2) & doctiſſimi & antiquiſſimi diffiſi ſint invenire ſe poſſe quod cuperent. Sint hi profecto, qui hoc ſe poſſe profiteantur, ingenio acuto, judicio acri, maxima diligentia; tamenne inflentur errore tanto, ut ſibi perſuadeant, ſcire ſe ſolos omnia, ceteros nihil ſcire? Quid ſi Philoſophi iſti, omnium, judicio ſuo, ſapientiſſimi & acutiſſimi, revera minime omnium

(1) *Plin. lib.* 34. *c.* 8. (2) *Acad.* 4. *c.*3.

mnium ſapiunt; & oculorum acie voluntario quodam morbo hebetata, in clara aliorum luce pæne cæcutiunt? Quid enim videant, qui inanis arrogantiæ cauſa illa omnino non videant, quæ ſagaciter perveſtigata a majoribus, ad communem utilitatem publice proſtant? Nugæ, inquiunt, delirantium ſomnia, gerræ germanæ. Dii immortales! Nihil ne igitur actum eſſe tot ſæculis, nihil ingeniis hominum tam excellentibus, nihil tam acribus ſtudiis, tam admirabili diſcentium multitudine, tanta magiſtrorum copia, nihil, inquam, actum eſſe, & etiamnum in natura perinde operam collocari oportere, quaſi Phyſici omnes conatu tanto aut in dolio Danaidum, aut in Siſyphi ſaxo laborarint? Quo jam illæ tuæ noctes inſomnes ductæ, Ariſtoteles? Quo illæ peregrinationes, Plato, in remotiſſimas terras diſcendi gratia a te ſuſceptæ? Quo illi oculi, ſi vera eſt fama, o Democrite, tibi ultro eruti (3) ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, ſi philoſophicis Diſciplinis per vos & veſtri ſimiles graviſſime conſtitutis, exoriuntur repente, ut in optima republica ſeditioſi cives, qui otium perturbent, ſic nova-

(3) *Cic. l. 5. de Fin. c. 29.*

vatores, qui veſtram Philoſophiam evertant, ſignoque audacter ſublato, ſe recte ſentiendi magiſtros profiteantur, & de ſuo nomine Philoſophos faciant? Jam inſtitutæ ſunt novæ hypotheſes, aperta nova gymnaſia, Porticus vacua, Academia deſerta, relictum Lyceum, tota Antiquitas valere juſſa. Magnum facinus, Auditores, & ſi quidem ejus auctoribus bene cedat, valde glorioſum; ridiculum, ſi cenſores iſti caſtigatoreſque Antiquorum, re demum ipſa, ſi non oratione, iiſdem Antiquis penitus cònſoni reperiantur. Quid opus eſt verbis multis? Florebat ſuperioribus ſæculis Peripatetica Philoſophia, excepta ubique, uti noſtis, tanta approbatione & plauſu, ut nulla alia verior aut fuiſſe antea, aut futura in poſterum videretur; cum ſubito, ut de ceteris taceam, duo illi extitere Philoſophi celebratiſſimi, Petrus Gaſſendus & Renatus Carteſius. Commoti extemplo omnium animi, & alii, ut eſt grata novitas, ad hos advolare ſicut apes ad thyma; alii contra ſtudioſiſſimi Antiquitatis metuere ſibi, & incerti quo res evaderet, ſuſpenſis animis exitum expectare. Atque ad Gaſſendum quidem quod attinebat, ſupputatis tantiſper rationibus, viſa

ſa eſt in vado res eſſe. Compertum eſt enim, non id agere eum voluiſſe, ut nova inveniret, ſed ut ab aliis inventa aut explicaret uberius, aut faceret emendatione meliora. Quis porro Auctor, qui de natura vel paullulum diſſeruerit, non ab eo delibatus, vocatuſque libenter in partem illius operis, quod ſua tanta cum laude, & noſtrorum temporum gloria, optimis quibuſque opibus a tota Antiquitate, præcipue vero a Democrito & Epicuro collectis, mirifice concinnavit? Itaque ex hac parte metu omni, qui principio invaſerat, jam depulſo, ventum eſt ad Carteſium. Hic vero, ut erat erecto animo & celſo, quærere ſibi laudem novitate doctrinæ, & quo facilius caperet mentes hominum, ſimulare, ſe antiquam eruditionem non admodum didiciſſe, ut ſi ipſe in Veterum libris parum verſatus, ſummam tamen prudentiam conſecutus videretur, nos inanem judicaremus omnem laborem noſtrum in iis cognoſcendis, veramque Philoſophiam putaremus ab aliis quibuſdam fontibus peti oportere. Jam illa Carteſiana rerum principia quam inſperata omnibus acciderunt! quam admirabiles viſi ſunt illi vortices! quam novæ illæ opiniones de bruto-

rum

rum anima, de modificatione materiæ, de inertia corporum, de lucis natura & propagatione, de ceteris denique, in quibus maximo ſtudio novus ille naturæ interpres elaboravit! Perieras, antiqua Philoſophia, tam gravi per ea tempora Carteſianorum convicio vexata & afflicta, ut nonnulli ex ea factione in ſuis libris impreſſam relinquere non dubitarint hanc vocem, ut appellat Huetius (4) barbaram & immanem, *exiguum fore damnum*, Carteſio ſuperſtite, *ſi igni abſumatur quidquid uſpiam Philoſophorum Ethnicorum eſt*; perieras, inquam, niſi acerrimi vindices tuæ dignitatis, ad hunc errorem ex hominum mentibus convellendum, digitum intendiſſent ad eos fontes, quibus Carteſius ſuum hortulum irrigavit; & ingenuo quodam liberoque faſtidio reſtitui juſſiſſent excerptas plumas Philoſophis ſingillatim, ad quos pertinebant. Itaque ſevero judicio de repetundis indicto, primi omnium in medium prodire illi totius Antiquitatis facile principes, Plato & Ariſtoteles, ſuiſque opibus cum ſupellectile Carteſiana collatis, teſtari Deos homineſque, Carteſium vel pediſſequum eſſe, ſi fateatur, ſe fere omnia

G ſum-

(4) *Cenſ. Cart. Phil. c. 8. n. 7.*

ſumpſiſſe tamquam ab exemplari, vel furem, ſi neget. Ingruere præterea Leucippus, Democritus, Epicurus, Hippocrates, aliique, & contendere, in fundo ſuo natos eſſe illos vortices, in quibus Carteſiana ſchola magnopere ſibi plaudit. Inſtare Diogenes (5) & Proclus (6) certiſque indiciis ſua eſſe convincere illa automata, quæ de brutis jactantur a Carteſianis. Negare Ariſtarchus Samius cum tota fere Antiquorum natione, lucem illam modificatam in coloribus, & diverſis modis reflexam, inventam eſſe a Carteſio. Sibi deberi Seleucus Mathematicus (7) doctrinam de æſtu maris ad compreſſionem venti terram inter lunamque intercepti; ab ſe profecta Anaxagoras ea, quæ a Carteſio traduntur de fulguribus, tonitribus, & fulminibus; alii denique alia oſtendere a ſuis fontibus in Carteſianos rivulos derivata; ut non immerito pronuntiare potuerit Huetius (8) *quidquid obganniat Carteſius, nihil fere novi eum attuliſſe*. Huetius, inquam? Immo Carteſius ipſe, quamquam, ut modo dicebam, ad novitatis laudem captandam anti-

(5) *Plutarch. de Plac. Phil. l.* 5. *c.* 20.
(6) *Platon. Philoſ. l.* 2. *c.* 1.
(7) *Plutarch. l.* 3. *c.* 7. (8) *ibid.*

tiquæ prudentiæ pæne ignarus videri vellet; tamen oblitus ſui aperte ſignificat in Diſſertatione de Methodo, ſe diligenter fuiſſe ab adoleſcentia verſatum in libris Veterum aliiſque, in quibus reconditum ineſſet aliquid, & a vulgi notitia remotum; & in Parte quarta Principiorum (9) idem ipſe ingenua tandem confeſſione teſtatur, ſe univerſam rerum naturam ita conatum eſſe explicare, ut nullo plane principio uſus ſit, quod non ab Ariſtotele omnibuſque aliis omnium ſæculorum Philoſophis approbatum fuerit, *adeo ut* (utor ejuſdem verbis) *hæc Philoſophia non ſit nova, ſed omnium maxime antiqua*. Huccine igitur recidit illa expectatio tanta, quam principio moverat Carteſiana Philoſophia? huccine illa frons tam ſpecioſa, illi aditus tam magnifici, illa promiſſa tam ſplendida, ut novitatis ſpecie ſubito evaneſcente, pervetera pro recentibus paſſim jactata inveniantur? Et quidem, poſt tantam in naturæ perveſtigatione ab Antiquis adhibitam diligentiam, quænam Philoſophia naſci poteſt penitus nova, & non multo ante a ſummis illis ingeniis, magna ſaltem ex parte, procreata & inventa? Fuit quondam tempus,

G 2 fuit,

(9) *num.* 200.

fuit, cum ditiſſimo regno naturæ nondum perluſtrato, ſi quis ejus peragrandi ſtudio flagraret, colligere ei licuit nemini antea cognitas opes; & veritatem hominum negligentia in Democritico puteo relictam, amplum eorum præmium, qui primi acceſſiſſent, in apricum proferre. Nunc quiſnam locus tam abditus eſt in natura, quę latebræ, quinam receſſus, in quibus aliqua aut Platonis, aut Ariſtotelis, aut aliorum veterum Philoſophorum veſtigia non reperiantur? Quod ſi, quemadmodum Plinius monet (10) *benignum eſt, & plenum ingenui pudoris, fateri, per quos profeceris*; cur merita laude fraudamus eos, qui tam præclaræ provinciæ ſepta primi effregerunt, & invia ac prærupta naviter prætergreſſi, facile nobis iter & expeditum, tot tamque illuſtribus induſtriæ ſuæ monumentis in lucem editis, commonſtrarunt? Quale enim, Auditores, foret negotium noſtrum, ſi in tanta obſcuritate naturæ nullum nobis a Majoribus traditum lumen extaret? quibus, quamquam ſingulari Superum munere ad philoſophica apprime natis, tamen inventio illarum rerum, in quibus elaborarunt, fuit tanti, ut

Py-

(10) *in Præf. Hiſt. Nat.*

Pythagoras, auctor naturæ minime ignobilis, cum in Geometria novi quiddam reperiſſet, Muſis præ gaudio bovem, ut ajunt (11) immolandum putarit. Quare viderint aliquando quid ſibi velint argutuli quidam ſpeculatores naturæ, qui non ſatis generoſum putant ire per priorum veſtigia, & ſuopte ingeniolo volvendum ſuſcipiunt id ſaxum, quod tot viri, & tanta virtute ex omnibus ſæculis obnixi totis viribus ægre admodum movere potuerunt. Nolo equidem, ut immemores juris ſui lateant ſub aliena umbra, & Ariſtotelem, quamquam omnium, qui ſapiunt, judicio, prope in Philoſophia ſingularem, aut alios antiſtites Philoſophiæ ſuſpiciant ut Deos, ſibique animo tales fingant, quales adumbratos videmus in tabulis, eo nempe habitu totius oris & corporis, ut omnem, quanta quanta eſt, naturæ vim exhaurire videantur. Fuerint ſane homines, ut fuerunt, nobis ſimillimi, erraverint aliquando, nonnulla neſciverint, pro veris interdum falſa enuntiarint. Nos vero numquid Semidei ſumus, qui horum hominum auxilio non egeamus, aut tam lyncei, ut in tantis tenebris, etiamſi nobis

(11) *Cic. l. 3. de Nat. Deo. c. 36.*

hi deſint, qui facem quodammodo præferant, nuſquam incurramus? Quod ſi ea & in ipſis rebus obſcuritas, & in judiciis noſtris infirmitas eſt, ut omnes errandi periculo obnoxii ſimus, quid eſt, quin confugiamus ad eos, qui nos adjuvare maxime cupiunt; & ſicubi errandum ſit, erremus potius cum magnis Auctoribus, quam ipſi novorum dogmatum architecti aut ludamur irriſione omnium; aut in ſinu Philoſophiæ, ſatis jam dilacerato opinionum varietate & diſcordia, novas turbas excitemus? Ac ne errabimus quidem, ſi, quod maxime velim, non eos duces modo, qui contemplando, ſed etiam eos conſulamus, qui experiundo philoſophantur, ſtudioque partium tandem remoto, ſic admiremur Antiquorum inventa, ut illa interim, quæ obſervata ſunt a Junioribus, non negligamus. Veteres enim naturæ interpretes ſedere plerumque ſoliti in ſua zotheca meditabundi, & pæne ſolam rationem tamquam artis magiſtram ſequi, hanc demum laudem noſtris hominibus reliquerunt, ut ſenſus ipſos, quos natura homini tribuit veluti duces primos ad omnem veritatem, in auxilium vocarent, & adjuti hoc præſidio recluderent illa clauſtra,

quæ

quæ nulla unquam vel acerrimæ contemplationis contentio aperire potuiſſet. Itaque noſtrorum curæ huc præcipue ſpectare cœperunt, ut phænomenis diligenter notandis, inſtituendiſque per occaſionem experimentis, *methodo analytica* explorarent vires naturæ legeſque virium, & alia ex aliis callide colligentes, ad cauſarum vel abditiſſimarum intelligentiam pervenirent. Vivent ætatum omnium prædicatione immortales viri illi duo meritiſſimi, Verulamius & Galileus, qui hanc philoſophandi rationem, non quidem ignotam Antiquitati, ſed ab ea, poſt illum Geometricæ & machinalis ſcientiæ præclariſſimum auſpicem Archimedem, non ſatis excultam, poſt longam tandem annorum ſeriem ſtrenue excitarunt; quam ceteri fere omnes Philoſophi in Italia, in Gallia, in Britannia magno ubique animo jam amplexi, innumeris pæne inventis rerum naturalium ſcientiam locupletarunt; nec iis ſolum, quæ in nuda contemplatione verſantur, ſed quæ univerſo etiam generi humano ad vitæ uſus & commoda mirifice proſunt. En igitur illæ amplæ regiones & opulentæ, quas amator Philoſophiæ, univerſa Antiquorum provincia jam peragrata, diligenter obire de-

bet & perluſtrare ; quantam & quam admirabilem ſupellectilem amiſſurus , ſi ignoret machinas & inſtrumenta aptiſſima ad explorandum a noſtris inventa; ſi neſciat phænomena cœlo , terra, mari ab iiſdem ſagaciter explorata; ſi pondus aeris, in quo vivimus, ſi gravitatis leges , ſi virtutem magneticam & elaſticam , & quod in Phyſicis caput eſt, ſi motus ſcientiam ad ſolam Antiquorum doctrinam exquirat ? Vidit Antiquitas ipſa , quam exiguis finibus ſuæ ſcientiæ ſpatia terminarentur ; & ne quis error nobis obreperet , eam de ſe publicam confeſſionem reliquit , qua non ſatis ſcio magiſne commendetur ejus prudentia , an quorumdam ſtultitia redarguatur , qui tantam ei laudem & gloriam tribuunt, quantam ſibi ipſa nunquam eſſe arrogandam putavit. Notę enim ſunt illæ voces, quas ipſi totius Antiquitatis principes ſæpe uſurparunt ; aut ſtultiſſimum, aut glorioſiſſimum eſſe eum , qui exiſtimet, Philoſophiam ſuo ingenio eſſe perfectam ; magnam partem a ſe ipſis impletam eſſe , ſed minime parvam relictam poſteritati ; (12) *ætatem unam non ſufficere ad inquiſitionem tantorum*; venturum tempus , quo plurima non-

(12) *Sen. l. 7. Nat. Qu. c. 25.*

nondum detecta arcana ex abditis naturæ latebris eruantur. Jam appetiit hoc tempus; & illa acceſſio Philoſophiæ facta eſt, quam ipſi tanto ante prædixerant; futura etiam major in poſterum, ſi illi, quibus & vires & opes ſuppetunt ad nova inquirenda, naviter in incœpto perſiſtant. Utinam vero generoſi horum conatus eo tandem evadant, ut exquiſitam quamdam & abſolutam exhibeant hiſtoriam naturæ, cujus graviſſima auctoritas tollat aliquando varietatem ſectarum, & tantam nobis lucem impertiat, ut graviter ſcienterque diſputare poſſimus de rerum principiis, & ſine ullo errore vera a falſis dijudicare. Interim, dum futura expectantur, utamur præſentibus; & cum Veteres tum Recentes grata cum benevolentia complexi, perſequamur alacriter illam viam, quam utrique, cæcam antea & ignotam, qua acerrimæ contemplationis, qua obſervationis accuratiſſimæ ſplendidis monumentis, ad noſtram utilitatem & commodum illuſtrarunt.

DE

DE
THEOLOGIA SCHOLASTICA.
ORATIO VII.

Perfectus Theologus nemo eſſe poteſt ſine Philoſophia.

PHiloſophia non ſemel antea, conſenſu veſtro & approbatione, in hanc dignitatis pleniſſimam lucem a me producta, ſua demum ſponte ſe vobis ſiſtit hodierno die, brevem quamdam poſtulationem, & quemadmodum ſibi vehementer gratam, ſic vobis, ut ſperat, non injucundam; æquiſſimam certe, univerſæque reipublicę litterariæ utiliſſimam allatura. Nimirum, ſi dignam antea judicaviſtis, cui lectiſſimi Juvenes, & in magnarum rerum ſpem ſuccreſcentes, optimæ inſtitutionis gratia, tamquam filioli nutriculæ traderentur; orat obteſtaturque, ut patiamini nunc æquo animo, ſe iiſdem illis ad Theologica ſtudia jam progredientibus velut comitem dari, & in adyta Scientiæ omnium facile prin-

cipis per vos admiſſam, ſua ibidem operâ hæſitantes eorum animos laborantesque adjuvare. Terrent enim introire cupientem ſeveri quidam cuſtodes in nonnullis Theologicarum ſcholarum foribus collocati, qui a Sacra Scientia, perinde quaſi ab aliqua Urbe peſtiferæ contagionis periculum metuente, omnes exteras merces cautiſſime prohibent, nihil recipere auſi, quod aliunde, quam a puriſſimis cœleſtis doctrinæ fontibus profectum ſit. Itaque nata Philoſophia inter nos, ſolitaque nobiſcum de rebus judicare ratiocinando, jure ſibi timendum putat, ne a Diſciplina myſteriis Fidei religioſiſſime conſecrata ſicut advena inutilis aut pernicioſa arceatur, niſi vos jubeatis, omnes ſcholarum aditus rigidiore quadam cuſtodia ſeptos, hujuſce hoſpitis gratia benigne aperiri. Ego certe, ſi quis locus mihi conceditur ad perorandum, ab iis Theologis, quibus omnis Philoſophia ſuſpecta eſt atque inviſa, quanta potero diligentia contendam, ut remiſſa iſta nimia ſeveritate, hanc nobiliſſimam Artem ſuo congreſſu & conſuetudine dignam ducere incipiant, & ſalva jam atque incolumi Dogmatum dignitate, ſinant animo non irato, ad ea quæ divine dicuntur a Theo-

lo-

logis, ſuam quaſi ſymbolam ab humana quoque ratione & prudentia aliquando conferri. Quod quidem eo contendam alacrius, quo clariora mihi, Auditores, veſtræ ſuffragationis indicia offeruntur, qui crebra jam aſſenſione hortamini me de graviſſima Scientia trepide dicentem, ut pronuntiare non dubitem, conſtanterque defendere, perfectum Theologum effici poſſe neminem ſine Philoſophia.

Quæret fortaſſe aliquis initio ſtatim, quem uſum afferre poſſit profana ſcientia ſacræ doctrinæ; ſapientum voces oraculis Scripturarum; rationum pondus Canonum auctoritati; ſcita philoſophantium dogmatis Theologiæ. Quid enim? An illa veritas, quæ a Sacris Litteris, quæ a Conciliis, quæ a Sanctis Patribus pure & caſte profecta eſt, parum valet ad fidem faciendam, niſi muniatur doctrina Philoſophorum, aut ad eam quaſi dubia & incerta velut ad lydium lapidem exploretur? Impium hoc enimvero, Auditores, & a catholicis non ſolum animis, ſed etiam auribus reſpuendum. Fuit quidem tempus (atque utinam ejus temporis maculam ætas noſtra omnino eluiſſet) cum extitere homines tam addicti Philoſo-

phiæ,

phiæ, ut ad ejus arbitrium & nutum Fidem ipſam converterent, & celeberrimos illos ejus Artis antiſtites, Platonem & Ariſtotelem, eodem pæne jure ac Prophetas, Apoſtolos, Euangeliſtas in Theologicis exhedris collocarent. Sed in hanc tam perverſam prudentiam acriter invectus eſt graviſſimus cenſor & ſapientiſſimus Auguſtinus (1) magna cum approbatione & plauſu ſcholarum omnium, quæ quidem non adumbratam & falſam, ſed veram & ſolidam Theologiam ſectarentur, & admirabilem ejus vim aſſecutæ manifeſte cognoſcerent, in ea valere in primis auctoritatem; rationem vero, ſi adſit, non ſperni; ſi deſit, non admodum flagitari. Quare, antequam ad graviſſimam Theologorum provinciam ingreſſus pateat Philoſophię, explicet jam ſine fraude, quid cogitet; & ne quis error in hac deliberatione judicum mentibus objiciatur, palam declaret, qua conditione ſe recipi velit, quo jure contenta ſit, cui uſui demum futura, ſi recipiatur. Ac ſi tecto animo & callido ad nos viam affectat; ſi quidquam molitur contra jura Dogmaticorum; ſi auctoritatem, veterem dominam, depellere vult de ſua poſ-

ſeſ-

(1) *Epiſt.* 118. *alias* 56.

ſeſſione ; ſi denique nihil aliud , niſi leves ratiunculas , captiones dialecticas , contorta ſophiſmata meditatur ; ego vero facile patior, ſevera cuſtodia ſeptos teneri omnes aditus Theologiæ , & hoſpitem infidam, non ſecus atque hoſtem , tecto , ſocietate , colloquio , aqua , igne prohiberi. Videntne rigidiores Theologi , quantum de illo ſcrupulo & metu , qui principio inceſſerat eorum animos , repente dejectum ſit? Volo Philoſophiam (dicam enim apertius) non ſophiſticam & litigioſam , ſed ſinceram & gravem , quæ prona ſit in obſequium Fidei ; quæ complectatur veneratione, ſiquid aſſequi nequeat intelligentia ; quæ nefas putet, humano modulo & pede divina metiri ; quæ denique ſentiat , non ſe dominam eſſe , ſed comitem & miniſtram , tanto mehercule laudabiliorem, quanto minus videatur ſuæ ipſa laudi ſervire. Hanc porro tam modeſtam virginem, tam pudicam, tam religioſam quis unquam tractare auſit aſperius, & in arcem Sapientiæ ſtudii & officii cauſa ſe admitti cupientem, non continuo remotis cuſtodibus pæne ovantis inſtar excipiat? Nec vero ad hanc perilluſtrem provinciam plane hoſpes adventat & peregrina , ſed nota jam popularibus, &

ob

ob veterem conſuetudinem plerisque admodum familiaris, iis quidem certe graviſſimis viris & ſapientiſſimis, qui, quod eam devocarunt ad Scholarum exercitationem, Theologi Scholaſtici nominantur. Atque ab his ſive ad ornamentum ſuæ facultatis, ſive ad uſum & præſidium accita, quo unquam tempore parum cumulate reſpondit eorum expectationi, aut ita ſe geſſit, ut initæ cum ea ſocietatis & amicitiæ eos pœniteret? Vivet profecto omnium ſæculorum memoria immortalis ille communi ſapientum voce appellatus Scholarum Angelus D. Thomas, non ſatis ſcio, majore ne laude dignus ob dignitatem quam attribuit Philoſophiæ, an ob eam quam accepit; admodum certe laudandus, & quod applicuit Philoſophiam Theologico lumini, quo illuſtraretur, & quod ipſammet Theologiam admotis Philoſophicis quaſi facibus ſupra ceteros illuſtravit. Et quidem (niſi quis malus genius capitali nos odio inflammat contra Scholaſticam) quandonam Theologia ſplendidior fuit & perfectior, quam cum ſe ipſam locupletavit aliarum artium inſtrumento, & id egit, ut ſacræ & profanæ litteræ mirabili quodam fœdere inter ſe jungerentur; &, quemadmodum in

ner-

nervorum vocumque cantu acuta cum gravibus temperata concentum efficiunt, ſic humana ſapientia, quamquam intervallis diſtincta imparibus, æqualiter tamen concineret cum divina, tanto ſuavius jam illabente in hominum animos, quanto facilius humanis adjuta viribus eos penetraret? Tunc enimvero viſa eſt, Auditores, eſſe Theologia, ſicut eſt, maximarum artium omnium regina, tamque honorifico virtutum comitatu ſepta, & munita præſidio, nihil jam ſibi ad ſplendorem, ad gratiam, ad dignitatem deſiderare. Itaque obſtupuerunt, credo, omnes Academiæ, cum primum ejuſmodi Theologi exorti ſunt, qui bene periteque diſſererent de omnibus rebus, & varia inſtructi eruditione & doctrina æmulari Apoſtolum viderentur (2) *docentes*, ut ille, *omnem hominem in omni ſapientia*. Inſidebat videlicet in illorum mentibus ſpecies quædam veræ & perfectæ Theologiæ, quam cum avide ſequerentur, effregerunt ea clauſtra, quibus Dogmatici coercebantur, ſuoque exemplo oſtenderunt, Theologicam rem multo ſane ampliorem eſſe atque locupletiorem, quam nonnulli homines etiamnum,

non

(2) *ad Coloſſ.* 1. *v.* 28.

non indocti illi quidem, ſed ab hac multiplici doctrina abhorrentes, ſibi perperam fingunt. Quid? An tanta Scientia, quanta nulla unquam mortalium generi ad cognoſcendum divinitus data eſt, tam illiberaliter tractari debet, ut excluſa a communione ceterarum Artium, detrudatur ad Dogmata, cogaturque nuda atque inermis ad ea pertinaciter tamquam ad ſcopulum adhæreſcere? Nihil ego, Auditores, de Dogmatica Theologia, in lubricum ſane locum delapſus, detractum volo; & quamquam non iſta cinctam virtutum corona, quam poſtulo, attamen ſatis jam ipſa formæ ſuæ dignitate præſtantem, ſicut matronam integra valetudine, optimo habitu, magnis viribus, valde probo. Sed hæc ipſa Dogmaticorum prudentia & gravitas tanta, quid habet admirationis, ſi nulla eam ſubtilis venuſtas ornet, nullum ingenii acumen commendet, nullus eruditionis ex aliis quibuſdam doctrinis quodammodo expreſſus color illuſtret? Tune, ſi te judice certet Scholaſticus cum Dogmatico, non illum probare malis acutum hominem, acri ingenio, maxima induſtria, varia denique reconditaque doctrina, quam hunc quaſi operarium, cujus ſit ea princeps

H vir-

virtus & pæne ſola, ut quamplurimos locos Theologicos, rurſum prorſum per omnes codices diſcurrendo, perquirat; quam aliam ſupellectilem inſtruens conatu tanto, niſi eam quam tu ipſe, modo non quivis de turba, ingenti bibliotheca adjutus pariter ornes? Ego equidem in hoc homine tam navo & ſtrenuo cum laudavero diligentiam, cum memoriam, ſi ea valere videatur, verbis extulero, minime injuſte faciam & injurioſe, ſi ceteras laudes, quas illi alteri largiter tribuam, huic parce admodum, aut nullo modo concedam. Ingenium certe, cujus eſt ſumma laus in Scholaſtica Theologia, quodnam poteſt eſſe in ea re, quam, evulgatis myſteriis, ſciunt omnes, aut ſcire commode poſſunt, ſi otio abundantes, ea tantum quæ ſcripta ſunt (ſcripta autem ſunt omnia) diligenter inſpiciant? Quare nolint Dogmatici, ſi me audiunt, in laudis certamen deſcendere cum Scholaſticis, & gloriam nacti ſuis maximis ſtudiis & laboribus parem, ingenioſiſſimos homines, optimeque de nobis meritos ne contemnant, aliis fortaſſe de cauſis (ſemper enim affinia ſunt magnis quibuſdam virtutibus vitia) etiam me auctore, arguendos; quod quidem ad Sacram

cram Doctrinam adjunxerunt Philoſophiam, nunquam profecto ſatis digne laudandos. Age enim, qualis tandem eſſet, atque adeo quæ omnino eſſet Theologia, ſi repente nudaretur præſidio hujus Artis, cujus tutelæ & fidei eam Scholaſtici commendarunt? Hanc, Auditores, cuſtodem agnoſcit & vindicem ſuæ dignitatis; hanc in laboribus ſociam, in periculis adjutricem intuetur; hanc propter ſtudiorum ſimilitudinem & rerum affinitatem tamquam filiolam amplectitur oſculaturque, adeo inique ferens ea vincula, quibus conſtringitur ab oſoribus Philoſophiæ, ut inde evolet aliquando vel iis invitis, & libera jam ac ſui juris, in hoc humanæ prudentiæ campo, perinde quaſi in ſuo regno, quodammodo exultet. Cujus enim ſunt illi loci de Deo auctore naturæ, de Angelis, de anima, de aere, de igne, de aqua, de cœlo, de terra, ad quos Dogmatici ipſi, quamquam a ſtudio aberrandi prorſus alieni, tamen ipſa ducti artis neceſſitate ſæpiſſime excurrunt? Clamant profecto omnes Philoſophorum ſcholæ, ſua hæc eſſe omnia propria, & ab ſe, ſi Theologus graviter, ſi ſcienter, ſi copioſe tractare ea velit, peti omnia oportere. Quid illa, quorum maxi-

mus eſt uſus in omni quæſtione, colligere unum ex alio; quid conſequens ſit, quid repugnans, videre; definire, dividere, ſeparare disjuncta, copulata jungere, ambigua ſecernere, quæ vera, quæ falſa ſint, judicare? Numquis Theologus ob eam cauſam, quod totus hic locus pertinet ad Dialecticos, aut tractat eum negligentius, aut prorſus relinquit? Certe nemo; niſi forte Theologum ſutoribus illis atque cerdonibus ſimilem fingimus, qui in Germania jampridem (3) quod novum Teſtamentum recitare memoriter poterant, magnum in Theologis nomen habuerunt. Satiſne igitur ſani ſunt, qui Doctrinas tanta affinitate conjunctas divelli volunt ac diſtrahi; nec vident, ſi Theologus in iis ipſis rebus, quas ei concedunt, callide periteque verſetur, neceſſe eſſe, ut idipſum aſſequatur ea ſcientia, quam ei non concedunt? Quare ſcite ac ſapienter Clemens Alexandrinus (4) ſuum illum perfectum, omnique laude cumulatum Theologum, vult, quaſi ſepimento aliquo, vallari ſcientia omnium magnarum Artium, Dialectica in primis atque Philoſophia, quibus tectus, magnifice ac ſplendide dignitatem ſuſtineat ſuæ

(3) *Melch. Can. l.9.c.3.* (4) *in libris Strom.*

ſuæ Diſciplinæ; & quod caput eſt, Dogmatum veritatem, quamquam principiis Fidei, unde profecta eſt, firmiſſime innixam, tamen ratione & doctrina tamquam auxiliaribus copiis ſæpe indigentem, contra omnes hoſtium conatus fortiter conſtanterque defendat. Ferit enim aures quotidie ſonus armorum, quæ homines quidam cupidi novarum rerum ad evertendam Sacram Doctrinam ex aliis quibuſdam ſtudiis depromunt; quorum audaciam quiſnam Theologus in Eccleſiæ præſidiis jure veluti ſuo collocatus frangere poſſit, aut coercere, niſi tractare didicerit, & ad ſalutem convertere illa eadem arma, quæ perniciem intentant? Invitus ſemper de Dogmaticis loquor quod ſequius ſit; ſed tamen, ſi venia danda eſt veritati, dicam id, Auditores, quod nemo veſtrum, cum breviter expoſuero, non veriſſime dictum putet. Deſcendit in arenam Theologus, purus putuſque Dogmaticus. Conſeſſus frequens, corona multiplex, magnum ſilentium, ſumma expectatio. Quæſtio gravis proponitur, & Theologi nomine, loci celebritate, hominum ſtudiis atque auribus prorſus digna. Annuunt omnes; & quibus ea præſidiis nitatur, diligenter attendunt. Nihil fingi poteſt ope-

roſius. Percurrit homo laborioſiſſimus omnes locos Theologicos; aggreditur ad Sacras Scripturas, a Scripturis tranſit ad Traditionem, a Traditione delabitur ad Concilia, a Conciliis demigrat ad Pontifices, ab his gradum facit ad veteres Patres. Ohe jam ſatis eſt. Quid enim poſtulas? Ut ingenium laudetur? At ingenioſus, ut ante dixi, nemo haberi poteſt in eo, quod omnibus patet. Ut id, de quo quæritur, ratum ſit? At non erat neceſſe, ut ea de cauſa benevolum auditorem ultro jam manus dantem perinde occideres, ac Horatiana illa (5) *non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo*. Ut adverſarius debilitetur, frangatur, corruat? Hic vero, tua bona cum pace dixero, operam perdidiſti. Quid enim? Inſurgat Scholaſticus unus e multis; curtum ſermone rotato torqueat enthymema; urgeat, inſtet, impellat; ab arce tandem, quam occupaſti, fruſtra obluctantem expellat. Illico periiſti. Excutitur tibi de manibus ille clypeus, quo unice confidebas; ſilent Sacræ Litteræ; non audiuntur Concilia; doctrina Patrum excluditur; certatur ratione. Scholaſticum dico. Quid ſi Sophiſta? quid ſi Hæreticus? quid ſi

(5) *in Arte Poet.*

ſi Atheus? quid ſi unus ex iis, qui nihil deferunt auctoritati? Palles, trepidas, ſudas, quid agas, & quo te vertas, miſer, non vides? Deſcende (quid enim potius?) libera concionem tædio; quære hominem qui te adjuvet; ad Philoſophum te converte, cujus armis inſtructus, quæ tanta argumentorum vis poteſt eſſe, quam reformides? quæ ambages ſophiſmatum tam implicatæ, quas non diſſolvas? qui impetus denique tam inopinatus, tam vehemens, quem fortiter non ſuſtineas? Senſit, quantam vim habeat Philoſophia in utramque partem, ſive ad arguendum, ſive ad refutandum, variis temporibus Eccleſia ſenſit, nunquam profecto nec oppugnata moleſtius, quam a Philoſophis, nec utilius, quam per Philoſophos propugnata; quod ita fert natura hujus Artis, ut ſi quando malorum hominum vitio in deteriorem ſegetem data ſeſe audacius effundat, nullis viribus coerceri poſſit & reprimi, niſi ſuis. Ponite enim vobis ante oculos unumquemque eorum, qui acerrimum bellum aut propulſarunt illatum ab Hæreticis, aut ipſi ſua ſponte ad frenandam eorumdem audaciam intulerunt. Qua tandem arte Baſilius Magnus Eunomii callidiſſimi ho-

minis, & in Aetii Sophiſtæ palæſtra diu multumque verſati captiones Dialecticas & aculeos fregit, niſi Dialectica ipſa, in qua ita admirabilis fuit, ut iis, ſi Gregorium Nazianzenum audimus (6) qui cum eo diſputabant, facilius eſſet a labyrinthis ſeſe extricare, quam argumentorum ejus laqueos effugere. Quid autem Gregorius Nyſſenus, cum in eumdem Eunomium inveheretur; quid Cyrillus Alexandrinus (7) cum Sophiſtarum fallacias configeret; quid Tertullianus, cum ſtylum acueret adverſus Gentes; quid Origenes, cum refutaret Celſum; quid Methodius, Euſebius, Apollinaris, cum reſponderent Porphyrio; quid Minutius Felix, cum refelleret Mathematicos; quid Auguſtinus, cum tot undique irruentium Hæreticorum impetum unus exciperet retunderetque, adeo non ignarus Philoſophiæ, ut videretur Creſconio Grammatico plus etiam, quam par eſſet, philoſophari? Quid alii Græci Latinique Patres, Clemens Alexandrinus, Joannes Damaſcenus, Juſtinus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Hieronymus, cum ſtrenue pugnarent adverſus eos, qui humana prudentia ad divinam ever-

(6) *Orat.* 20. (7) *in Theſau. & Dial.*

evertendam abuterentur, quid, inquam, egerunt, aut quibus potiſſimum armis opem Fidei, perniciem hoſtibus, univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem attulerunt? Iiſne, quibus gloriantur Dogmatici, an iis, quæ ſuppeditat ratio, ingenium procudit, acuit Philoſophia? cujus telis cum per improbos homines peteretur Eccleſia ſauciareturque, aut erat comploranda deſperato remedio, aut, quod Poetæ fabulantur de Achille, ſananda erat eadem haſta, quæ vulnus inflixerat. Veniant igitur irriſores Scholaſticæ, & jam vel ipſi judicent, utrum malint aſſentiri Luthero & Calvino, qui Sacram Doctrinam Philoſophiæ præſidio ſpoliandam, & inermem armatis, ad certum interitum, objiciendam curarunt; an vero imitari acerrimos illos Fidei aſſertores & vindices, quos laudavi; quibus nihil mehercule potius fuit, quam ut (8) *extorquerent de manibus hoſtium gladium, & Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncarent.* Itaque hi profanorum Scriptorum provinciam fidenter ingreſſi, incredibili diligentia pervolutarunt Philoſophos omnes, præſertim Platonicos; & ſi qua vera apud eos, atque ad Catholicum Dogma lo-

cu-

(8) *D. Hier. Epiſt.* 70. *alias* 84.

cupletandum idonea invenerunt, tamquam ab injuſtis poſſeſſoribus, ut vocantur a D. Auguſtino (9) in uſum noſtrum vindicarunt, contuleruntque in eos libros, quos cum magno Chriſtianæ Religionis emolumento edidere, *ita refertos*, teſte D. Hieronymo (10) *Philoſophorum doctrinis atque ſententiis, ut neſcias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem ſæculi, an ſcientiam Scripturarum*. Huc igitur omnes Theologi ſpectare debent, & hanc eminentem effigiem doctrinæ, cui nihil deſit, avide conſectari; hauſtam videlicet & expreſſam ab exemplo, quod Deus ipſe in omnigena Salomonis ſcientia, Chriſtus in incredibili doctrinæ ſuæ varietate & copia, Apoſtoli tandem in multiformi ſermone, ad ſempiternum veræ perfectæque ſapientiæ monumentum reliquerunt. Sileant proinde aliquando ea convicia, quibus appetitur Scholaſtica Theologia, vel ob eam cauſam valde a nobis diligenda, quod magno in odio eſt apud eos, quorum maxime intereſt eam perire; in qua ſi barbaram locutionem, ſi rixandi libidinem, ſi ambages, ſi tricas ferre non poſſumus (quis autem poſſit?) reprehendamus homines, artem

(9) *l.2.de Doct.Chriſt.c.*40. (10) *ibid.*

tem ipſam laudemus. Regnet hæc, ſed aliquanto decentius, in iis ſcholis, quas jampridem complexa eſt; in eas vero, a quibus excluditur, reconciliata nunc demum gratia, benigne admittatur. Serviat Dogmaticæ tamquam ancilla non mehercule pœnitenda; & ambæ inter ſe ſic partiantur officia, ut illa dictet quid ſit credendum, hæc ut credatur, contendat; illa divinas res ad nos deferat, hæc delatas ſuadeat; illa inſtruat Catholicos, hæc Hæreticos perdat; illa denique Fidem promulget, hæc eam defendat, & quod ait Baſilius (11) ſit inſtar muri, ne Dogmata diripiantur.

(11) *Comment. in Eſa. c. 2. v. 15.*

DE

Digitized by Google

DE
THEOLOGIA DOGMATICA.
ORATIO VIII.

Quatenus liceat Theologo philoſophari.

DE Theologia cum altero abhinc anno publice verba facerem, ſperabam fore, ut non venia modo tribueretur Philoſophiæ, ſed etiam gratia haberetur aliqua, ſi in egregii operis partem vocata, ad illam omnium magnarum Artium principem Diſciplinam accederet, & de graviſſimis rebus ac difficillimis laborantem, tamquam ancilla diligens & fidelis, pro modulo ſuo & facultate adjuvaret. Res cecidit longe aliter ac putaveram, Auditores; & unde lætus officii fructus promittebatur, inde, neſcio quo pacto, triſtes rixarum cauſæ emanarunt. In Theologicam enim provinciam ingreſſa Philoſophia, ſtatim in multorum offenſionem incurrit, & qua calumniis, qua contumeliis eo tandem adducta eſt, ut cogatur aut ſponte de-

deſerere eum locum, aut armis & contentione tueri. Accuſant nempe ii Theologi, qui Dogmatici nominantur, & torvis oculis intuentes profanam Scientiam, tanta præſertim cum auctoritate jactantem ſe in iis ſcholis, quæ Divinæ Sapientiæ ſtudio ſunt conſecratæ, negant eam ferri diutius poſſe, ſi non aperte inimicam, ſuſpectam certe & infidam, & niſi præcaveatur, ſummum detrimentum aliquando amicitiæ ſimulatione Religioni & pietati allaturam. Defendunt Scholaſtici, veteres amici & patroni Philoſophiæ, minimeque committendum eſſe contendunt, ut inani quodam ſcrupulo & metu ſpolietur Sacra Doctrina eo ſplendore & præſidio, quod longe maximum affert Philoſophia, arceſſenda profecto, ſi forte abeſſet; nunc vero cum præſto ſit, conſtantiſſime retinenda. Itaque pro diverſis hominum ſtudiis varie jactata, meam demum diligentiam & fidem implorat, poſtulans jure ſuo, ut ſibi illatam injuriam depellendam ſuſcipiam, monetque, ut meminerim, ſe eam eſſe, quam anno præterito hoc eodem in loco tamquam fidiſſimam adjutricem Theologis commendarim. Ego vero quamquam a contentionibus jurgiiſque alieniſſimus, tamen

fa-

facile patior, in hoc litterario certamine eſſe etiam aliquas partes meas, & opportunum tempus oblatum, in quo Scholaſtici meam erga ſe voluntatem perſpectam antea rurſus agnoſcant; Dogmatici vero, ſi forte a ſuis rationibus me alieno unquam fuiſſe animo judicaverint, nunc manifeſto convicti indicio eumdem me ſtudioſiſſimum ſuarum partium, ſuique amantiſſimum fateantur. Ita enim cenſeo: cum Philoſophia in Theologorum lares unanimi pæne conſenſu admiſſa jam ſit, & in ſtudiorum laborumque ſocietatem accepta, bene & pro ſua fide atque conſtantia Scholaſticos facere, quod integram & incorruptam veteris conjunctionis neceſſitudinem ſervent, quidvis potius paſſuri, quam ut optime de ſe meritæ Diſciplinæ ſubito quodam divortio nuntium remittant. Porro cum periculum ſit, ne ab ipſa Philoſophia parum caſte ſerventur jura amicitiæ, & per ſimulationem obſequii, occultæ quædam inſidiæ contra jus faſque inſtruantur, hoc amplius cenſeo, Dogmaticis eam rem laudi eſſe oportere, quod velint, hoſpitem non ſatis ſinceræ fidei, diligenti ſeveraque cuſtodia contineri in officio, & curari, ut fervidum ejus ingenium, & fere

cu-

cupidum novarum rerum, graviſſima Religionis auctoritate & imperio coerceatur. Quare non diſſenſionis adjutor, ſed auctor concordiæ id agere conabor hac oratione, ut ſuum jus tribuatur Scholaſticis, Dogmaticis ſuum; ab utriſque, ut ſpero, facile impetraturus, ut, gratia reconciliata, mihi non gravate aſſentiantur ſtatuere cupienti, quatenus liceat Theologo philoſophari.

Neoptolemus apud Ennium (1) *philoſophari ſibi ait neceſſe eſſe, ſed paucis; nam omnino haud placere.* Præclara vox, & magno viro ac ſapiente digniſſima, quæ declarat, illum etiam in vita occupata de Philoſophia cogitaſſe; nec ea tamen cogitatione a negotio avocatum fuiſſe. In vado res eſt, Auditores, & ſatis ſuperque conſultum rationibus Theologiæ, ſi, qui eam profitentur, ab hac Neoptolemi regula non diſcedant. Philoſophentur hi quidem (quid enim facere melius poſſunt?) ſed paucis, ut ille, eaque temperantia & modo, ut Theologica quidem, quæ propria ipſorum eſt, eruditio & doctrina diligenter quæſita; Philoſophica autem, quæ tamquam comes ſupervenit, non neglecta videatur. Placet enim hæc, ſed re-

(1) *Cic. Tuſc.* 2. *cap.* 1.

Digitized by Google

remiſſa; delectat, ſed verecunda; juvat, ſed opportuna. Si intempeſtiva ſit, ſi garrula, ſi nimis anxia, contemnitur, & ipſa officii ſedulitate in odium incurrit. Nota ſunt ea convicia, quæ in veteres quoſdam Scholaſticos paſſim jactantur; cujus tandem criminis reos, niſi quod modum in uſu Philoſophiæ non ſervarunt? Terrent profecto illa volumina quæ ediderunt, tot tamque immania, ut volenti omnia percurrere vix ipſa Neſtoris ætas ſufficiat. Exanimant infinitæ quæſtiones plenæ ſubtilitatis, quibus torqueantur ingenia, non erudiantur. Enecant difficiles loci & obſcuri, in quos cum incideris, diu multumque luctatus, nihil extrices. Laquei denique, aculei, ambages, ſophiſmata plane conficiunt, quæ ſi quis intelligat, videatur is quidem acutior Œdipo, nihilo tamen doctior, quam qui ea contempſerit, & ad argutulos captionum Dialecticarum artifices amandarit. Hæc, Auditores, ea vitia ſunt, in quæ incidunt ii Theologi, qui nimium indulgent Philoſophiæ, timidius fortaſſe a me nunc reprehendenda, niſi animos adderent Scholaſtici ipſi, qui eadem hæc vitia, ubicumque inveniantur, ab ſui certe inſtituti ratione a-

lie-

lieniſſima graviter damnant. Quæ eſt enim Scholaſtica Theologia, aut in quo homine tanta res ac tam admirabilis ponitur? Opinor in eo, qui non contentus ſimplici Dogmatum ſcientia, doctrinam adjungit ex aliis quibuſdam artibus ſtudiiſque collectam, ſed ita moderate ac ſapienter, ut variam atque multiplicem divinarum rerum humanarumque vim & materiam cognitione complexus, ea tamen ſemper multo potiora ducat, quæ ad Sacras Litteras, quæ ad Concilia, quæ ad Veteres Patres, quæ ad rem denique Dogmaticam ſpectant. Te miſerum, ſi hujuſmodi eruditionis præſidio nudus inveniaris hoc tempore, & in aciem Scholaſticam ſubtilibus magis, quam ſolidis gravibuſque rationibus armatus deſcendas. Irruant ſtatim ſeveriores Theologi, & aſſerentes dignitatem ſuæ Diſciplinæ, tibi homini parvo in rebus magnis, in parvis magno, ineptias omnes excutiant, & ad Scholaſticam laudem falſa commendatione obrepere conantem, ne Theologi quidem nomine dignum eſſe convincant. Quid? Philoſophi ipſi, in quorum tutela ac præſidio videris tibi ſecurus latere, in te impetum faciant, ac temere elatum ea ſcientia, in qua ipſi principes ſunt quaſique Dii, nullo negotio

Digitized by Google

ſubvertant. Age enim, quoſnam potiſſimum Philoſophos ſequeris? Platonicos ne? Invadunt ferociter Peripatetici, & ab ea poſſeſſione, quam jure quodam ſuo in provincia Theologica jamdiu tenent, velut per ſubreptionem ingreſſum detrudunt. An Peripateticos? Irrident juniores Philoſophi, miranturque, fabulas & commenta communi fere ſuffragio exploſa, a Theologo ſuſtineri. An Juniores ipſos? Fremunt boni quidam viri & indignantur, aſſertori Catholicæ veritatis in deliciis eſſe Philoſophiam, quæ cum Dogmatis Fidei non ſatis clare conſentiat. Jam ab amicis domeſticiſque tam male acceptum, quid ego te hoſtibus proterendum tradam, & a ludicris pugnis in illas conjiciam longe graviſſimas, quas de Fide, de Religione, de Diſciplina Hæretici ipſi audacter inſtituunt? Qui æſtus, Dii boni, quæ tenebræ, quæ trepidatio, ſi te in Philoſophorum auctoritate deliteſcentem ſubito provocent ad oracula Sacræ Scripturæ, & tuis illis egregiis ducibus Epicuro, Democrito, Platoni, Ariſtoteli ipſos anteſignanos Chriſtianæ Fidei Prophetas, Apoſtolos, Sanctos Patres opponant? Tu ne, qui ſummis tantum labris attigeris Dogmaticos fontes; qui avidius hau-

ſe-

ſeris leges Dialecticæ, quam Canones Conciliorum; qui vixeris familiarius cum naturæ interpretibus, quam cum explanatoribus Scripturarum; tu, inquam, tantula doctrina & tam levi reſiſtas hominibus eruditiſſimis, & ab his raptus per omnes Theologicos locos, obſcura explices, ambigua diſtinguas, concilies contraria, corrupta reſtituas, refutes falſa, ita in omnibus felix, ut nec obrutus doctrinæ copia, nec fraude & inſidiis captus diſcedas? Nullum unquam atrocius bellum Religio vidit, quam in Germania ſæculo ſextodecimo, non alia profecto de cauſa tot cladibus ac tam luctuoſis debilitata & afflicta, niſi quod ii Theologi, quorum armis ingruentes hæreſes frangendæ erant & profligandæ, *non habuerunt*, ut graviſſimi Scholaſtici verbis utar (2) *niſi arundines longas*. Magnum quiddam profecto, & magni cujuſdam hominis eſt, opem ferre laboranti Catholicæ Fidei, occurrere acerrimis hoſtibus & potentiſſimis, ſuſtinere impetus, declinare inſidias, vim vi propulſare. Quo igitur tuæ illæ noctes inſomnes actæ, quo tantum ſtudium, tam acres commentationes, tam multa opera in ambagi-

I 2 bus

(2) *Mel. Can. l. 9. c. 1.*

bus Logicis , in Dialecticis cavillationibus , in quæſtiunculis Metaphyſicis , cum tanta jactura temporis & animi defatigatione , conſumpta? Irriſus a Theologis , a Philoſophis ſpretus , peſſundatus ab Hæreticis , quin refers tandem animum ad illam eruditionem , quam ſolidam & ſucci plenam domeſtici laudent , amici admirentur, inimici formident? Neque hæc eo dico , ut nulla ſint Philoſophica ſtudia, & illi Scholaſtici deterreantur, qui modum in uſu Philoſophiæ non excedunt ; quos quidem cum ego antea candido prorſus animo ſinceroque laudaverim, amens profecto ſim , ſi mutata ſubito voluntate ullo modo reprehendam. Pergant iſti enimvero hanc nobiliſſimam Scientiam tractare, uti faciunt , magnifice ac ſplendide ; & honorifica pulcherrimarum virtutum corona cinctam inferant alacriter in medium agmen, in clamorem , in caſtra , gratam in ſcholis, ſuavem in umbra, in ſole metuendam. Inepti, garruli , litigioſi , ſophiſtici , qui ſimulatione Scholaſticæ Theologiæ formam ejus pulcritudinemque corrumpunt , hi vero , ſi uſquam ſunt, contineant ſeſe aliquando , & liberent litterariam rempublicam æternis quæſtionibus, graviſſimam Scientiam tricis, ſcho-

las

las clamoribus, auditores tædio & ſatietate. Quid? Me ne, ſi ad iſtorum normam Theologus eſſe velim, totas miſerum haurire debere illas Articulorum μυριάδας, quas, præſertim tam inſuaviter redolentes corruptam latinitatem, apponant; & caudicem ac ſtipitem ſemper fore, niſi exſorbuero quidquid hinc & illinc improbo labore collectum in eas congeſſerunt? Me de Deo, de Angelis, de Incarnatione, de Gratia, de Dogmatis denique laborantem, nihil Theologo dignum ſcire, ſi neſciam *quid ſit infinitum categorematicum & ſyncategorematicum; quæ cauſa motus, & quotuplex; utrum ſit vacuum, & quomodo ſit;* & ab alia in aliam quæſtionem ductus, callide reſpondere non poſſim de rebus iis, quas iſti homines otio abundantes, ne parum multa ſciſſe viderentur, ſus deque verſis introſpectiſque omnibus omnium Philoſophorum arculis, quæſiverunt? Dii bene, quod me, cum animum ad Theologiam appuliſſem, Doctoribus uti voluere Scholaſticis quidem, ſed iiſdem quæſtiuncularum iſtarum caſtigatoribus tam ſeveris, ut ex illa ipſa inſtitutione profectum putem ardorem hunc animi qualemcumque, qui orationem meam contra Scholaſticæ corruptores in-

inflammat. Ducebant illi me (atque utinam vitio meo non accidiſſet, ut ducerent ſæpe fruſtra) ſed tamen ducebant interdum ad Philoſophicos locos, ut illa admirabili divinæ & humanę prudentiæ conſenſione & concordia vehementius afficeretur animus, altioreſque radices veritas ageret; & quamquam id totum facerent Dogmatum cauſa, tamen faciebant tam moderate, ut ſemper in oculis habere viderentur illud, quod eſt in proverbio, *magnam eſſe ſapientiæ partem, quædam neſcire*. Itaque relinquebant exilia & ſpinoſa, quæ ab iis Theologis, quos modo dixi, anxie tractantur; urgebant autem frugifera & gravia, in quibus iidem iſti oſcitantur & frigent. Non facile dixerim, Auditores, riſum ne magis, an bilem moveant iſtæ nitedulæ, ſi quando extractæ e vepreculis, in quibus videntur aliquid eſſe, ſolido, ut dicitur, dentem illidant. Propone, experiundi gratia, acutulum quiddam, in quo ſe jactent. Prompte, ſubtiliter, naviter, nihil ſupra. Jam eoſdem hos homines exultantes ſucceſſu proſpero transfer ad Dogmata. Hui repente quam diſſimiles ſibi! Hęrent, titubant, diſtorquent oculos, ſcalpunt caput, muſſitant, nulli ſunt. Heus, inquam,

quam, mihi de Dogmatis quid reſpondetis? Quem locum e Sacris Litteris, Theologorum maxime propriis? quæ Concilia? quos Sanctos Patres? Noli vexare. Neceſſaria neſciunt; quia ſupervacua didicerunt. Supervacua, inquam? Quid ſi pernicioſa etiam, ſi infecta peſtifero quodam tabo, ſi contraria Fidei, ſi Dogmatis inimica? Venio enim tandem ad eum locum, quo me jamdiu non obtrectandi libido, ſed Juventutis hujus monendæ cupiditas vocat; & a modeſta religioſaque Philoſophia ad illam inverecundam & impudentem deſcendo, quam arguculi quidam homines non velut ancillam, ſed tamquam arbitram & magiſtram, Theologis omnibus non Dogmaticis modo, ſed etiam Scholaſticis graviter reclamantibus, in hanc provinciam inducunt. Magnum crimen; nec vero novum & inauditum, eoque majore animi proviſione averruncandum, quo callidius id agit inſidioſa ſimulatione, ut improvidas hominum mentes in fraudem impellat. Sunt amici Philoſophi; ſed tamdiu candidi atque ſinceri, quamdiu intra crepidam, quod veteri proverbio præcipitur, ſe contineant. Verſantur nobiſcum in ſcholis, adjuvant in laboribus, in tenebris lu-

men afferunt, acuunt ingenium, vires ſuppeditant, quamcumque tandem rem poſtules, explicant & expediunt. Etiam Theologicam? Etiam; ſed quibus principiis, quam alienis ab inſtituto noſtro, quam abhorrentibus a Theologia! Crede auctoritati; clamant Theologi omnes. Immo rationi; concordi voce Philoſophi omnes pronuntiant. *Altiora te ne quæſieris* (3). Immo ſcrutare omnia, ne temere id approbes, quod non cognoris. Veriſſima dux in rebus judicandis Fides eſto. Immo regula veri & falſi perſpicuitas & evidentia. Dii immortales! Quid opus eſt indiciis gravioribus, quamobrem ſuſpecta eſſe debeat eorum doctrina, qui toti a Philoſophis ſunt? Tritum eſt vulgi ſermone dicterium, Theologos nihil credere; falſum id quidem, ſi tamen vere in aliquem cadit, certe cadit in eum, qui ex præcepto Philoſophorum nulli rei aſſentiatur, niſi quam penitus ratione comprehendat. Jam iſtiuſmodi Philoſophicis inſtitutionibus eruditus ad Theologum migras. Videris, opinor, tibi ad Pythagoram demigraſſe, cujus in ſchola etiam ſine ratione auctoritas valeat. Quanti autem? Tanti, quanti veritas ipſa,

non

(3) *Eccleſiaſtici cap.* 3.

non a Pythagora, Philoſopho, ut alii omnes, obnoxio errandi periculo, ſed ab eo profecta, qui unus fallere & falli nequit. At durum eſt, inquis, demittere auriculas animumque ad illa, quæ dicantur tantummodo, non probentur. Heus tandem aliquid, quod vim afferat menti, & aſſentiendi neceſſitatem imponat. Quid multa? Res defertur ad Philoſophiam; quaſi neceſſe ſit, ut divina veritas exigatur ad humanam prudentiam, non contra humana ad divinam. Quid ſi ambæ collatæ inter ſe non conſentiant, ſed altera ab altera (nec raro id accidat) diſcrepare videatur? Certe verum plus uno eſſe non poteſt. Utra igitur prudentia fallitur, humana, an divina? Reſpondet Theologus nihil hæſitans idem illud, quod Synodus Lateranenſis ſeſſione octava: *Cum verum vero minime contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino eſſe falſam.* Quid tu, qui Philoſophus es? Idem, credo, reſpondeas, quod tuus Carteſius; nihil tibi probari poſſe, quod non evidens ſit. Falſum ne igitur alterum illud? Non auſis hoc quidem aperte dicere; atqui ita dicas neceſſe eſt. Duo enim vera diſcrepantia eſſe non poſſunt. Intelligitis,
Au-

Auditores, hoc uno aditu aperto, quam ampla ſtatim pateat ad errores via, difficillime præcavendos, quod obducta quadam veritatis ſpecie occultantur. Hinc imminui Scripturarum auctoritas, refrigeſcere Superum metus, futilia haberi decreta Fidei, captari novæ opiniones, præcepta fingi ad vivendi licentiam accommodata, ingenio denique ſuæ cæcitatis oblito temere omnia permitti. Dies me deficiat, ſi velim recenſere eorum exitus funeſtiſſimos, qui ad ſcopulum hunc, decépti a Philoſophis, vel potius a ſemet ipſis, ſuas & Eccleſiæ rationes turpiter afflixerunt. Utinam reviviſcerent Ethnici illi Philoſophi, quorum doctrina etiam poſt promulgatam Evangelicam veritatem vivit illuſtrior, quam ipſi optare potuiſſent, tanto in honore poſita apud nonnullos, ut adoretur quodammodo, & pęne Evangelii loco habeatur. Quanto hi cum dolore Theologicam rem oppugnatam viderent iis armis, quę ipſi in quemlibet alium potius, quam in hunc exſecrabilem uſum procuderunt, ſoliti ſentire tam graviter de Religione, ut Ariſtoteles inter ceteros hanc pietatis pleniſſimam vocem emiſerit, ut eſt apud Senecam (4) *nunquam nos verecundiores eſſe de-*

be-

(4) *lib. 7. Nat. Qu. c.* 30.

bere, quam cum de Diis agitur. Quare ira incitati in malitioſos plagiarios, ſummo jure, opinor, ab his repeterent ſua, non ideo tradita poſteritati, ut per ea atrocius bellum gereretur cum Fide, quam ipſi omnino ignorarunt. Veniret in primis Plato contra Hæreticos omnes, quos ætas antiquior tulit, ſpoliaretque continuo iis inſtrumentis, quibus abuſi ſunt ad divina violanda, indigniſſime ferens, factum eſſe eorum culpa & ſtultitia, ut ipſe modo Simoniacus, modo Valentinianus, modo Marcionita, modo Manichæus videatur. Suam eſſe dicerent Stoici partitionem quamdam in homines bonos & malos, ſapientes & inſipientes, ac mirarentur, ex ea prodiiſſe Marcionis Deos, bonum unum, alterum malum; itemque ſuam doctrinam de Fato materiam præbuiſſe Valentinianis & Gnoſticis, unde fabricarentur Deum ſervum neceſſitatis. Hos eoſdem urgerent alii Philoſophi, & ab ipſis repoſcerent, Pythagoras quidem numeros, in quos tranſtulerunt hoc univerſum; Democritus autem & Epicurus vacuum & atomos, quibus Pleroma effinxerunt. Sua porro eſſe fateretur Cleanthes duo illa principia rerum, Deum, & materiam, quibus ca-

captus Hermogenes materiam cum Deo æquavit. Suam Epicurus illam ſententiam de animorum interitu, quam temere amplexi ſunt Hæretici Sadducæi, & poſt hos Arabici renovarunt. Suam Zeno illam opinionem de una Divinitate in multas ſubſtantias diviſa; cujus pediſſequi Manichæi, Priſcillianiſtæ, & Gnoſtici, animam hominis æternam eſſe ac divinam voluerunt. Quid autem non diceret ſuum Ariſtoteles, de hoc hominum genere tam inſigniter meritus, ut a Gregorio Bætico (5) vetere Scriptore Eccleſiaſtico, Epiſcopus Hæreticorum vocetur, laturus, puto, minus gravate tam acerbam injuriam, quod ceteri quoque Philoſophi a Tertulliano in Libro de Anima (6) Hæreticorum Patriarchæ appellantur. Te miſeram, Philoſophia, quæ coacta a vaniſſimis hominibus egredi a finibus tuis, & viribus majora conari, te penitus & aſſeclas tuos perdidiſti, facta jam artifex mendacii & erroris, quæ fueras veritatis; reprehenſa ob hanc cauſam a graviſſimis Patribus, Epiphanio (7), Ambroſio (8), Hilario (9), aliiſ-

(5) *lib. de Fide.* (6) *cap.* 3.
(7) *Hær.* 76. (8) *l.* 1. *de Fide*, *c.* 3.
(9) *l.* 12. *de Trin. n.* 20.

aliiſque ; caſtigata a ſummis Pontificibus, Gregorio IX. Joanne XXII. Clemente VI. Leone X. ab ipſo demum Apoſtolo (10) inanis & fallax judicata, ſapienter monente, ut videamus, ne quis per eam nos decipiat. Ecquid vident Dogmatici, quam nihil eorum diſſimulem, quæ pungere animos poſſunt, & ad iſtam perverſam humanam ſapientiam acriter inſectandam hortari? Exulet iſta quidem ex omnibus ſcholis, nec auſit ſua conſilia ullo modo conſociare cum iis, quorum inſtitutio & doctrina non ex Peripato & Academia, ſed ex porticu Salomonis, ut ait Tertullianus (11) profecta eſt, defendenda mehercule ſumma cura, ne ullis unquam Ethnicorum ſordibus polluatur. Illa vero modeſta Philoſophia, ſincera, candida, religioſa, &, quod poſtulat D. Hieronymus (12) tamquam captiva mulier ſine illecebris crinium, ſine ornamentis, & de Moabitide facta Iſraelitis; cur adamari a Scholaſticis impune non poſſit, editura profecto ejuſmodi fœtus, qui Chriſtianam Rempublicam ornent atque defendant? Hanc ego certe noſtris Adoleſcentibus auctor fuero,

(10) *ad Coloſſ.* 2. (11) *l. de Præſcript. c.*7.
(12) *Ep.* 66. *alias* 26.

ro, ut benevolo ſemper animo excipiant & colant; ſed ea conditione, ut Dogmatica Scientia tamquam cibo utantur neceſſario ad veſcendum, Philoſophica tamquam bellariis, modice & parce; optimoſque Scholaſticos & probatiſſimos imitati, contineant ſeſe intra fines (13) *quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum*.

(13) *Hor. Sat.* 1. *lib.* 1.

DE

DE ENCYCLOPÆDIA.

ORATIO IX.

Ingenium præſtans multa complecti debet.

NOn dubito, quin apud illos Adoleſcentes, qui ſtudiorum decurſu delati jam ſunt ad eam metam, quam ſibi ipſi multo ante præfixerant, graves quædam tragœdiæ hodierna luce excitentur, ſi, novis litterariis regionibus ad peragrandum propoſitis, cogantur repente illos fines prætergredi, ad quos læti ovanteſque tamquam ad Herculeas columnas ſubſiſtunt. Quid? Parumne longum eſſe curriculum illud, quod tot annis, relicta patria & parentibus, abdicatis voluptatibus vel honeſtiſſimis, valetudine ipſa ſæpe neglecta, acri ſtudio, aſſiduis vigiliis, maximis contentionibus, conficere vix potuerunt? Se ab ultima prope infantia ad ſcholam ductos nihil fere aliud in vita, niſi rem litterariam curaſſe. Se Grammaticam, ſe Rhetoricam, ſe Dialecticam, ſe Phyſicam, ſe Ethi-

Ethicam, ſe Theologiam (quot Artes, Dii boni, & quam ſalebroſas!) gradatim ſingulas percurriſſe. Quid amplius quæri? An ut rurſus emiſſi e carceribus percurrant etiam totum Jus Civile & Canonicum; peragrent univerſam Hiſtoriam; perluſtrent omnes Mathematicas Artes; quid tandem conſecuturi, ubi omnem omnis generis Scientiam curſim tranſmiſerint, niſi ut recte & callide nihil ſciant? Confundi enim non inſtrui animum tot Diſciplinis, ad quas nec mens, nec corpus, nec vita ipſa ſufficiat; ſatius eſſe uni aut alteri ſe totos tradere, quam errare per multas; nuſquam denique eſſe eum, qui ubique eſt. Itaque aſſecuti jam quod volebant, ſarcinulas ſuas colligere incipiunt, & miſſionem poſtulare, ſatis beati, quod ſupellectilem ſecum aſportent, non lautam illam quidem, ſed quam efficere lautam poſſint, & in qua augenda ornandaque, ſive ad uſum, ſive ad delectationem, tota vita occupari. Macti (non enim audeo invitos morari) redeant ad patrios lares, deferant ſcholas noſtras, a cuſtodibus, a magiſtris ſui tandem juris diſcedant. Hoc unum oro, ut, cum diſceſſerint, referant ſaltem animum aliquando ad hunc locum, & reputent

ſe-

ſecum ipſi, quantam & quam frugiferam meſſem eruditionis reliquerint, ſuam profecto, ſi colligere voluiſſent. Hic enim orbis doctrinæ, hæc ἐγκυκλοπαιδεία, ſi diligenter attendant, non eſt mehercule molis tantæ, quantæ ipſi opinantur; ut me proinde operam non inutilem navaturum putem hodierno die, ſi eos erigam ad magnam ſpem; & inani ſolutos metu, ad hunc fructuoſiſſimum laborem, ubicumque tandem in poſterum futuri ſint, alacriter ſuſcipiendum impellam. Adſint igitur bono animo. Sequar enim optimum illud & probatiſſimum, *ne quid nimis*; & faciam, quemadmodum ſpero, ut omnes intelligant, me de ἐγκυκλοπαιδείᾳ laborantem, nihilo plus depoſcere, quam quod debet ab hominibus navis, & ad ſolidam laudem & gloriam ſpectantibus poſtulari.

Scitum eſt, quod de homine ſano præcipit Medicus in primis nobilis Cornelius Celſus (1). Hunc enim varium habere vult vitæ genus; modo ruri eſſe, modo in urbe; interdum balneo, interdum aquis frigidis uti; modo ungi, modo id ipſum negligere; navigare, venari, quieſcere, ſe exercere. Si non omnino diſſimilis eſt ratio

(1) *lib. 1. de Medic. cap. 1.*

curandorum corporum & animorum, recte hoc documento adumbratam habemus variam ſtudiorum formam, quam ſequi homines debeant, qui ingenio valent. Qui enim paullo hebetiores ſunt, qui tardi & infirmi, cenſeo eos, itidem ut ægrotos, mutatione locorum vexari non oportere. Quieſcant igitur hujuſmodi homines, & ad quamcumque artem ſemel animum applicuerint, in ea, per me licet, ad ſenectutem uſque conſiſtant. De robuſtioribus loquor, quorum ingenium acre, velox, ad omnia expeditum quid ego arctioribus quaſi laqueis teneri velim, & certis definitiſque unius Diſciplinæ regionibus circumſcribi? Expatientur hi quidem libere per litterariam provinciam, minimeque contenti ſtatione una, in qua ceteroquin habitent velut in regno ſuo, habeant etiam hoſpitia multa, ad quæ tamquam exploratores, non transfugæ, ingenua quadam & liberali novarum rerum cognoſcendarum cupiditate ducti ſubinde divertant. Quid? Nonne hoc idem facimus in hac vita civili, & diu multumque verſati in rebus iis perluſtrandis, quæ ad noſtram civitatem & rempublicam ſpectant, finitimas etiam regiones, ſi poſſumus, obeundas ſuſci-

ſci-

ſcipimus ; & cum ad delectationem, tum vero ad utilitatem permagnum eſſe putamus, externos mores, leges, inſtituta, ædificia, monumenta, opes denique publicas privataſque intueri? Euge igitur; quid ita hæres in nido tuo, quaſi tot liberales Artes & Diſciplinæ ita demum hominibus datæ ſint, ut non amplius quam ſingulas ſinguli homines diſcant? Non te ipſa eximia natura tua in hanc opinionem adducit, ut credas, unum tantum tibi agere non licere, & craſſi potius cujuſdam ingenii, quam agilis, & in omnem partem, ut ita dicam, ſpectantis eſſe, malle morari in eo quod didiceris, quam ad illa quæ nondum ſcias, demigrare? Quid mihi rei magnitudinem difficultatemque commemoras, cujus cogitatione ne tum quidem induſtrii homines & ingenioſi deterreri potuerunt, cum illa tot tamque inſignia adjumenta ad diſcendum non ſuppetebant, quibus videmus hac florentiſſima ætate litterariam rempublicam redundare? Quæ ars digna litteris illi navo ſapientiæ militi Platoni defuit? Cujus doctrinæ ſtrenuus Platonis diſcipulus Ariſtoteles ignarus fuit? Quid non didicit Eleus Hippias, qui, teſte Tullio

(2) gloriatus eſt, cuncta pæne audiente Græcia, nihil eſſe ulla in arte rerum omnium, quod ipſe neſciret? Quam ſcientiam præ ſe non tulit Leontinus Gorgias, qui, ut ait idem Tullius (3) de omni re, quæcumque in diſceptationem quæſtionemque vocaretur, ſe copioſiſſime dicturum eſſe profeſſus eſt, auſus princeps ex omnibus in conventu poſcere, qua de re quiſque vellet audire? Quid Tullius ipſe inter tot forenſium rerum labores, & tantas civiles curas hoc aſſecutus, ut idem Orator ſummus, idem Poeta non ignobilis, idem egregius Philoſophus, idem Juriſperitiſſimus & haberetur & eſſet? Pudet me in tanta litteratiſſimæ Civitatis luce dicentem, veterem hanc memoriam colligere, quaſi non ante oculos, quocumque aſpiciam, mihi obverſentur multi & ingenio & doctrina abundantes Viri, quos huic Juventuti non ſolum ad intuendum, ſed etiam ad imitandum proponam. Quamquam quid opus eſt exemplis aut domeſticis aut externis? Illi ipſi Adoleſcentes noſtri, qui hunc orbem doctrinæ ſibi eſſe ἀδύνατον putant, illi, inquam, ipſi referant tantiſper animum ad præterita ſtudia ſua; metian-

(2) *l. 3. de Or. c.* 32. (3) *ibid.*

tiantur cogitatione decurſum ſpatium; conferant cum eo quod reſtat; & quid tandem ſpei ſibi eſſe poſſit in poſterum, conjectura proſpiciant. Age: illas Artes, quas mihi paullo ante tamquam magnum quiddam, ſicut eſt, prędicabant, Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Phyſicam, Ethicam, Theologiam, quot ſæculis didicerunt? Non ſcrutor, quam operoſe; utrum ſæpius ſudaverint in eo ſtudio, an refrixerint; lucernam ne an culcitam, ſcholas an ludos, laborem an otium plus amaverint, non excutio. Etſi enim non parum intereſt ad hanc cauſam, qualis & quanta eorum contentio fuerit, probe cognoſcere; attamen, quia periculum eſt, ne deprehendatur aliquid inquirendo, quod ipſi minime velint, totum hunc locum, ut conſulam eorum pudori, libenter relinquo. Quot igitur annis tantam ſibi tamque variam doctrinam acquiſiverunt? Ego enim, ſi computem illos quibus vixerint, multos invenio; ſin autem quibus ſtuduerint, admodum paucos. Quid enim ad ſtudia contulit ætas prima, in cognoſcendis nominibus litterarum, in effingendis earum formis, in ducenda manu, in firmandis articulis, in legendi denique ſcribendique ratio-

tione conſumpta? Quantulum porro contulit ætas altera, quam ſolus Emmanuel Alvarus totam regulis, appendicibus, ſcholiis ſuis, quippe ad alia majora ineptam, occupavit? Abierunt rudiores anni, & illa tandem ætas appetiit, quę & intellectum Diſciplinarum capere, & laborem pati poſſet. Tum vero quanta quiſque celeritate immenſum pęne ſtadium non dicam metiri cœpit, ſed quodammodo pervolare? Jam accedere ad Rhetorem, dare operam eloquentiæ, interpretari Oratores, cognoſcere Hiſtoricos, cum Poetis verſari. Mox tranſire ad Philoſophum, percipere differendi rationem, ſpeculari naturæ arcana, de virtute, de officio, de moribus diſceptare. Tum curſu ad altiora inito, differere de rebus Divinis, evolvere Sacras Scripturas, conſulere Sanctos Patres, adire Concilia, Hæreſes confutare. Hui, tantum iter tam exiguo annorum ſpatio confici potuiſſe? Confectum eſt. Juvit experrectum ingenium, firma valetudo, flagrans diſcendi cupiditas, cura non intermiſſa. His adjumentis, quid eſt tam difficile, quod non hi brevi tempore conſequi ſe poſſe confidant? Quid ergo demittunt animum, & ſubito, quaſi re deſperata, receptui canunt? Jam

ſa-

ſalebroſior litterariæ provinciæ pars emenſa eſt; pronum iter quod reſtat, nec vero longum, ſi non repugnent. Quid enim cenſent? An me, aut oblitum hujus miſerrimę humanæ vitæ, cujus curriculum breviſſimis ſpatiis natura circumſcripſit, aut immemorem illius inſtituti, quod ipſi jampridem amplexi ſunt, tantam nunc poſtulare tamque variam doctrinam, ut putem nihil licere eis neſcire, & paſſurus ſim ægre, ſi graviſſimis ſtudiis, & ſuſceptæ vitæ rationi maxime congruentibus dediti, negligant interim Vitruvii Architectonica, Ariſtoxeni Harmonica, Simplicia Dioſcoridis, Galeni Therapeutica, & alia hujuſcemodi; quaſi in ſuo genere perfecti futuri non ſint, niſi poſſint etiam de proportionibus & menſuris, de modis & numeris, de pharmacis & alexipharmacis callide periteque diſputare? Curent hæc quidem ii ad quos ſpectant, & tractent, ut dicitur, fabrilia fabri. Noſtri, qui vitæ ſuæ quaſi tabernaculum collocaſſe videntur in Theologia, ſi adjunxerint ſcientiam Canonum, ſi cognitionem Antiquitatis, ſi ſtudium Criticæ, ſi id quidquid eſt, quod adjuvare eos maxime poſſit & commendare, quamquam cetera non attigerint, ta-

men ovantes litent Apollini & Muſis, compotes jam illius, quam poſtulo, ἐγκυκλοπαιδείας, non cui nihil deſit eorum, quæ ſciri poſſunt (quis enim conſequi poſſit omnia?) ſed cui ea quæ deſunt, poſſint a Theologo impune neſciri. Quid autem negotii eſt, poſt tot tamque vaſta quaſi maria tranſmiſſa, etiam hoc fretum, tam pulcri operis perficiundi gratia, tranſire? An terrent immanes illæ librorum moles, quibus Scriptores rerum, quas modo dixi, Canoniſtæ, Hiſtorici, Critici bibliothecas omnes referciunt? Te miſerum, ſi legi deberent omnes, nec eſſent eorum plerique blattis, ut fit, relinquendi. Quid ergo? Suſpiciant quidem & admirentur induſtriam hominum; laudent elegantiam typorum; legant librorum titulos; ſi vacat, etiam memoriæ mandent, recitaturi ad famam eruditionis apud eos, qui fere præter Auctorum nomina nihil norunt. Ceterum, cum omnes laudaverint, paucos legant, tantum frugis vel ex uno, ſed optimo & probatiſſimo, collecturi, quantum ſi omnes ejuſdem generis pervolutent. Spectant enim eodem omnes, eademque ſcribuntur a pluribus, & (quod mirari ſatis non poſſis) etiam iiſdem verbis in-

interdum ; quo facilius intelligas, te ad multam eruditionem multis libris non indigere, &, quemadmodum Plinius monet (4) *multum legendum eſſe, non multa.* Videſne quantum de illa difficultate dejectum ſit, quam initio perhorreſcebas; quæ ſi magna eſſet, quis tamen foret recuſandus labor? Magna res ſcilicet petitur, & quæ tibi aliquando tantum emolumentum pariat, tantam commendationem & dignitatem, quantam vix aſſequi animo poſſis, niſi experiaris. Quis enim fructus tibi ſe ſtatim offerat nec opinanti, cum, vix egreſſus ex ea regione, in qua te ac tenuiſſimas copias tuas tamquam regulus aut tetrarcha jactabas, tot ſubito aſpicias nunquam antea cognitas opes, &, ſupputatis tecum rationibus, ſentias, quam curta ſit ea ſupellex, quam tu paullo ante ne cum Attalica quidem mutandam putaſſes? Senſit, quantam vim hoc haberet ad juvenilem arrogantiam frenandam, M. Antonius Muretus ſenſit, &, ut ceteris documento eſſe poſſet, ſempiternis litterarum monumentis teſtatum reliquit (5). Applicuerat is animum admodum adoleſcens ad Jus Civile, & eo jam proceſſerat, ut & in argumen-

(4) *Epiſt. 9. lib. 7.* (5) *Oratione 15.*

mentando ſatis acutus , & in reſpondendo non incautus eſſet , & , quod palmarium tunc putabatur , multarum Legum non intellectarum principia uno ſpiritu citare poſſet , & multorum Interpretum nomina recenſere. Omnes uno ore omnia bona dicere de Mureto , & laudare fortunas ejus , quod tantula ætate tantam ſibi ſapientiam comparaſſet ; ipſe gaudere plauſu , circumſpicere ſeſe , pulcrum & beatum putare. Veniunt interim in ejus manus hominum ſcripta , quæ nunquam ante illud tempus aſpexerat ; reperit in iis paſſim multa , quæ a Magiſtris nunquam audiverat , multa ex veteri Græcia , multa ex antiquo Latio ducta & expreſſa . Quid tunc animi Mureto fuerit , nolite a me quærere . Viſus mihi ſum , inquit , de cœlo decidiſſe , aut in alium quemdam orbem delatus eſſe ; neque aliter affectus ſum , quam egeni & inopes homines interdum ſolent , qui , cum totam noctem ſomniarunt , ſe divites repente factos eſſe , ubi diu gemmas , aurum , purpuram dormientes contrectarunt , experrecti omnia domi ſuæ obtenta telis aranearum vident. Itaque pudore ſuffuſus , e caſtris ſuis clanculum ſe ſubduxit , & ad exteras regiones de-

delapſus, illas opes colligere cœpit, quibus ſibi Juriſprudentia inſtructior evaderet & ornatior, nunquam mehercule magis nuda, quam cum putabat, ad ſplendorem & dignitatem ei nihil deeſſe. Jam ab Adoleſcente Juris ſtudioſo redeamus ad Candidatos Theologiæ, & exploratis tantiſper eorum conatibus, a falſa perſuaſione doctrinæ, ſi quam forte etiam ipſi ſibi inaniter induerunt, ad ſaniora conſilia, ſi poſſumus, revocemus. Emenſo intra paucos annos Theologico curſu, publice, ut ſolet, tamquam emeriti milites rudem petunt. Deſcendunt in ſplendidiſſimum centumvirale judicium; de ingenio, de memoria, de diligentia, de facultate denique ſua naviter dimicant; colliguntur ſuffragia; tolluntur plauſus; Theologi renuntiantur. Splendet laureatum caput, lucet ſardonychata manus, Theologi ſunt, nihil ſupra. Miſeri, ſi ſentiant, quam multa ſibi deſint ad iſtam laudem; miſerrimi, ſi ne ſentiant quidem! Fac enim, novo repente indicto ſeveriore judicio, in medium prodeant graviſſimi homines & ſapientiſſimi, quorum ſtudia & doctrinæ maxima affinitate cum Theologia conjunguntur; & afferentes illius dignitatem, beatulos iſtos Theolo-

logos in certamen vocent, periculum diligenter facturi, recte ne an perperam jactent (6) *hærentem capiti cum multa laude coronam*. Quid multa? Inſurgunt in primis Juriſperiti, & explicatis Codicibus Decretiſque, illos aut ſupinæ negligentiæ condemnant, ſi fateantur, ſe in his rudes atque hoſpites eſſe; aut convincunt ſtultitiæ, ſi negent, Decreta & Canones ad Theologum pertinere. Urgent præterea homines Antiquitatis ſtudioſi, & principio ſtatim deprehenſa illorum infantia, valde mirantur, citari paſſim Concilia, appellari Pontifices, produci veteres Patres, quæſtiones denique Hiſtoricas & Chronologicas fidenter dirimi; & eos interim fontes, unde hæc petantur, neſciri. Inſtant ſupra ceteros Critici, vehementer irati, quod vident, poſt tantam tamque utilem operam a ſe conſumptam in purgandis Auctoribus, & ſecernendo, ut dicitur, ære a lupinis; attamen ſcripta ſubdititia a germanis, corrupta ab integris, falſa a veris nondum diſtingui. Theologi ipſi (quid vultis amplius?) illi, inquam, ipſi Theologi, quibus doctoribus & magiſtris uſi ſunt, graviter in illos invadunt, & de ſuæ nobiliſ-

(6) *Horat. Sat.* 10. *lib.* 1.

liſſimæ Artis dignitate ſolliciti, interrogant, quid agere velint, relicta jam ſchola, & quibus potiſſimum ſtudiis ſuum tempus tranſmittere? Quid enim hactenus actum eſſe? Jacta videlicet fundamenta eſſe totius ædificii; reſtare, ut ipſi labore non intermiſſo hoc abſolvant, juſti & perfecti Theologi nunquam futuri, ſi, quæ de Hæreſibus, de Conciliis, de Sacris Litteris, de Sanctis Patribus quotidie in ſchola, propter anguſtias temporis, preſſe ac ſummatim acceperint, non hæc uberius & plenius, data jam opportunitate, ab Auctoribus ipſis accipiant. Vicimus, Auditores. Illi paullo ante turgiduli Juvenes & glorioſi, nunc nulli ſunt; & niſi me fallit animus, jam incipiunt de ornanda ſua ſupellectile, de quærenda multiplici eruditione, de legendis variis Scriptoribus cogitare. Quam vanæ nunc iis videntur illæ voces, quas initio jactabant; confundi, non inſtrui, animum pluribus Diſciplinis; non poſſe naviter dari operam niſi uni; qui dicuntur multiſcii, eos nihil ſcire. Immo ſuo periculo edocti candide profitentur, mirum quemdam omnium Doctrinarum quaſi conſenſum eſſe & concentum, & dubitari non poſſe, quin veriſſimæ ſint

vo-

voces illæ, quas viri graviſſimi pronunciarunt; Ariſtoteles (7) *ἐπικοινωνοῦσι πᾶσαι αἱ ἐπιστῆμαι ἀλλήλαις*, *omnes artes communicant inter ſe*; Plato (8) *πασῶν τούτων δεσμὸς εἷς*, *harum omnium unum eſt vinculum*; Tullius denique (9) *ſi a multis eligere homines commodiſſimum quodque, quam ſeſe uni alicui certo mallent addicere, minus in arrogantia offenderent; non tantopere in vitiis perſeverarent; aliquanto levius ex inſcientia laborarent*. Quod ſi tot undique ſtimulis incitati, revera incipiunt multiplicis ſcientiæ cupiditate flagrare; ne ſinant hercule, ſi viri ſunt, hunc ardorem reſtingui, & quo ſuccendi vehementius poſſit, ponant ſibi ante oculos præmia illa ampliſſima & maxima, quorum ſpe optimi quique, & honoris ac dignitatis appetentiſſimi, diu noctuque ardentibus quaſi facibus ad ſtudia incenduntur. Poteſtne quidquam pulcrius homine illo eſſe aut fingi, qui multarum virtutum comitatu ſeptus, nullum litteratorum cœtum refugiat; nulla in Academia otioſus numerum expleat; nuſquam mutus aut hæſitans ſit; ſummus & admirabilis in arte & doctrina, quam profite-

(7) *Anal. Poſt. l.* 1. *c.* 11. (8) *in Epinom*
(9) *lib.* 2. *de Inven. c.* 2.

ſitetur ; in reliquis non jejunus? Quid hoc eſt aliud, quam, non dicam Ulyſſem illum πολύτροπον, ut ab Homero laudatur, hoc eſt multiplicis ingenii hominem, & multorum moribus accommodatum referre, ſed ad Deum ipſum Optimum Maximum, qui ſua mente continet omnia, quantum homini fas eſt, proxime accedere? Ab hoc quotidie conſilium expetere cives ſui ; ad hunc referre de maximis rebus ; hunc audire in publicis gymnaſiis ſumma frequentia ; huic dare operam domi maximo ſtudio ; in hunc incredibili admiratione ſicut in Numen aliquod intueri. Diceres ejus villas, Tuſculanum Ciceronis ; hortos, Platanum Socratis ; convivia, Sympoſium Platonis ; ferias & ludos, Saturnalia Macrobii ; nullum denique locum & tempus diceres vacuum commentatione aut colloquio, cujus ſuavitate aut alios perfundat, aut ſeipſum oblectet. En ille fructus, Adoleſcentes, quem etiam vobis afferant aliquando labores veſtri, ſi durare velitis. Quidni autem? Turpis quærendi defatigatio eſt, cum id quod quæritur, ſit pulcherrimum. Recurrat ſæpe animo quæ ætas nunc ſit, quam docta, quam erudita. Pudeat, in ejus conſpectum profer-

re

re eam Facultatem quam adamatis, indotatam, incomptam, jejunam, nudam. Ne pigeat, ejus ornandæ cauſa, obire litterariam provinciam, & ſtudioſe ea comparare & ſeponere, quæ ſubinde tamquam ex peregrinatione ad illam reverſi, ſicut munuſcula ad Sponſam ab exteris aſportata regionibus afferatis. Nihil vos terreat magnitudo Artium. Mirum (& vos ſæpe noſtis) *quanta ſit humani ingenii vis, quam potens efficiendi quæ velit* (10). Nitendum eſt vobis ad ſummum. Illuc evadere non licebit? *Eſt quadam prodire tenus, ſi non datur ultra* (11).

(10) *Quinct. l.* 12. *c.* 11. (11) *Hor. Ep.* 1. *lib.* 1.

DE

DE
INGENII MODERATIONE.
ORATIO X.

Adverſus ingenia, quæ nimis multa complectuntur.

CUm de ἐγκυκλοπαιδείᾳ hoc eodem ex loco anno præterito verba facerem, minime ſperabam fore, ut ad rem ſupra hominum vires poſitam ſubito commoveretur cupiditas tanta, quanta nunc demum ſentio multorum animos æſtuare. Terrebat me quidem certe magnitudo Artium, infirmitas ingeniorum, brevitas vitæ; cumque ob has cauſas ad illius ſpem neminem erigere auderem, putabam ſapientis eſſe, circumcidere multa, & orbem doctrinæ certo Diſciplinarum ambitu definire. Sed amens ego, qui ex mea natura timida puſillaque ceteros finxerim, & inani quodam abreptus metu non ſatis perſpexerim, quantum humani ingenii vis poſſit, aut ſe poſſe aliquando confidat. Itaque re-

vulſa ſunt illa clauſtra, quibus ego ἐγκυκλοπαιδείαν terminandam curaveram; recluſus aditus ad omnes Scientias; patefacta univerſa litteraria reſpublica; homines denique exorti, qui pede alacriter in eam illato, totam, quam longe lateque extenditur, ſe peragraturos eſſe promittant. Felices! Abeant jam bonis avibus; non itineris tædium, non difficultas viarum, non locorum mutatio, non ſomnus, non frigus, non æſtus eos unquam retardet. Amœni Rhetorum campi; amplæ regiones Hiſtoricorum; opulenta regna Juriſprudentium; Theologicæ, Philoſophicæ, Medicæ, Mathematicæ, maximis rebus atque pulcherrimis abundantes provinciæ, omnes ſagacibus & eruditis iſtorum oculis perluſtrentur. Quid nos interim, Auditores? Licetne e nidulo noſtro, tamquam e ſpecula, Icaros iſtos proſpicere, & tam præclaros eorum conatus admirationis gratia paullo attentius examinare? Pulcrum ſane ſpectaculum, planeque ejuſmodi, ut poſſit & veſtros animos non injucunde, & hanc Juventutem de ſtudiorum ſuorum ratione ſollicitam non inutiliter detinere. Proponamus eos igitur nobis ante oculos, & omni ſtudio partium remoto, relegamus tantiſper eorum veſtigia, in-

da-

dagemus progreſſum, exitum perquiramus; tum demum judicaturi, rectene an perperam pronuntiaverit Heraclitus (1) *πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει*, *mentem non docet multiplex eruditio*; aut Timon apud Athenæum (2) *πολυμαθημοσύνης τῆς οὐ κενεώτερον ἄλλο*, *tam vanum nihil eſſe puta, quam diſcere multa.*

Quæ res in diſcente ad omen capiendum obſervari ſolet in primis, quam patiens nempe laboris ſit, quam diligens, quam operoſus; de hac, Auditores, quod quidem attinet ad hoc tempus, nolite quærere. Habemus enim tam navos homines, tam ſedulos, tam induſtrios, ut nihil ſupra. Deſerere lectulum ante lucem; ab eo ad pluteum tranſire; abdere ſeſe in ſtudia; aſſidue legere, ſcribere, commentari. Quænam dapes arte exquiſitiſſima elaboratæ voluptatem tantam conciunt catillonum palato, quantam hujuſmodi hominibus epulæ illæ vel Itala ſuavitate, vel peregrino ſapore conditæ, quibus iſta ad animi pabulum oblectationemque comparata convivia inſtruuntur? Tunc effluere celeriter tempus; ſilere omnes curæ; affecti corporis labor, vis caloris aut frigoris, latrantis ventris querelæ, quaſi a-

(1) *Laert. in ejus vita.* (2) *lib.* 13.

liquo ſoporifero pharmaco deliniri. Diceres iſtas eſſe illas Beatorum inſulas, in quibus veteres quidam Philoſophi, teſte Tullio (3) talem futuram fingunt vitam Sapientum, ut cura omni liberatos nihil aliud eſſe acturos putent, niſi ut omne tempus in quærendo diſcendoque conſumant. Jam has tam ſuaves domi delicias nacti, raro ex ædibus pedem efferre, nec ad eas ſine fœnore aliquo, tamquam apes collecto melle, reverti. Obire cœtus doctorum hominum; ad tabernas librarias divertere; litterariis exercitationibus intereſſe. Vanus ſalutandi labor, convivia, ſpectacula, ludi, quo ſibi ad ſtudia ſupereſſe plus temporis poſſit, omnia interdicta. Pauci amici, iidemque ex ordine litterario; nec inanes congreſſus, ſed frugis pleni. Quid novi, opinor, afferant ephemerides litterariæ, qui libri excudantur, quo auctore, qua de materia, quonam typographo. Si quid interim ſalivam movet, id impenſe conquiri, magna cum delectatione domi mox deguſtandum. Exhauritur crumena, ditatur animus, bibliotheca locupletatur. Ullumne genus hominum, Auditores, ad rem litterariam melius compoſitum exoptemus, & in quo

(3) *lib. 5. de Fin. c. 19.*

quo confidentius ad ſpem progreſſus eximii, atque optimi exitus, niti poſſimus? Quid enim ab eo non expectes, quem ſumma diſcendi cupiditas acuat, horrifica laboris facies non terreat, blandæ voluptatum illecebræ a propoſito non abducant? Itaque brevi, credo, reſtitutos videbimus Philoſophiæ Platones & Ariſtoteles; Geometriæ Euclides & Archimedes; Medicinæ Hippocrates & Galenos; Juriſprudentiæ Labeones & Papinianos; Theologiæ Hieronymos & Auguſtinos. Quidni autem? An alia ratione & via, niſi maxima contentione, acerrimo ſtudio, aſſiduis vigiliis iſti clariſſimi viri evaſerunt ad ſummum? tantam nominis famam jam aſſecuti, ut ſuarum quiſque Artium antiſtites quaſique Dii habeantur & ſint. Contulit certe plurimum ad iſtam laudem natura ipſa; quæ quidem mihi videtur, cum eos effingeret, condere voluiſſe ſingulari artificio egregiam quamdam & excellentem formam ingenii, in quam cum admiratione intueri ceteri homines poſſent, & ejus ſplendore ad cognoſcenda bonarum Artium arcana in tanta rerum caligine & cæcitate adjuvari. Sed tamen putamuſne, ejuſdem benigniſſimæ parentis naturæ aut voluntatem mutatam, aut

exhauſtam virtutem, quæque gigantes edidit quondam, nunc quaſi effœtam & ſeneſcentem puſiones proferre? Vidit profecto omnis ætas ingenia præſtantia, & cum veteribus illis facile comparanda; ſed qui ea perinde excoleret atque oportebat, omnis ætas non vidit. Ne Dii ſiverint, Auditores, ut hi quoque homines, de quibus loquimur, eodem incurrant, & perquirendo inveniamus, quamlibet rem aliam potius in his, quam ingenium aut curam, deſiderari. Quo enim valeant hæc tam præclara adjumenta ad diſcendum, ſi forte neſciant ipſi diſcere, & curſus errore decepti, a recta via conatu tanto ad inania deflectant? Introſpiciamus igitur eorum ſtudia; exploremus rationem ſtudiorum; zotheculam, pluteum, libros, hoc denique quidquid eſt, in quo tantam operam collocant, excutiamus. Age, quæ bibliotheca? Optima, inquiunt, & copioſiſſima. Grammatici, Poetæ, Rhetores, Hiſtorici, Theologi, Philoſophi, Medici, Mathematici, Juriſconſulti. Hui, tanta pecuniæ vis in libros effuſa? Quorſum enim? Laudet mehercule ſi quis vult; Seneca certe non laudet, qui jubet (4) *parari librorum quan-*

(4) *De tranquill. c. 9.*

quantum ſatis ſit, nihil in apparatum. At hæc ſupellex in ſtudium, inquiunt, non in ſpectaculum. Nam quinam libri ſive Latini, ſive Itali, ſive Gallici, ſive Anglici, ſive Greci, propterea quod non legantur, tinearum epulæ, in bibliotheca noſtra putreſcunt? Dii veſtram fidem! Tot ergo Auctores, tam diſſimilis ingenii, tam diſſonæ linguæ, tam diverſæ doctrinæ, mole ingentes, numero pæne infiniti, adhibentur in ſtudium unius hominis, teruntur unis manibus, unis oculis perluſtrantur? Jam eos mallem putreſcere in bibliotheca, quam iſto modo tractari. Quid? Poteſtne tanta rerum magnitudine, tanta varietate & copia non opprimi animus, non obrui memoria, non fructus denique tam acris contentionis & curæ penitus tolli? Ecquid diceres, M. Fabi, ſi quem forte in bibliotheca ſedentem tot voluminibus circumfuſum videres, totumque in eo, ut legat quamplurima, & ſic lectionem inſtituat, ut a Philoſopho tranſeat ad Rhetorem, a Rhetore convolet ad Theologum, a Theologo delabatur ad Medicum, a Medico demigret ad Geometram, a Geometra abeat ad Juriſconſultum, ab hoc ad Poetam deſcendat, mox ad priores redeat, revocet

quod omiſerat, miſceat Latina Græcis, cum domeſticis peregrina confundat? Putareſne iſtam eſſe Muſarum palæſtram, in qua exerceantur ingenia, & ad ſolidam germanamque doctrinam inſtruantur, an potius officinam quamdam librariam, ubi nihil agatur aliud, niſi ut Auctorum nomina & tituli pernoſcantur? Tu, qui ſtudioſis hominibus gravem hanc & ſeveram legem imponis (5) ut, cum legunt, non ſolum per partes ſcrutentur omnia, ſed perlectum librum utique ex integro reſumant ac tractent, & quemadmodum cibos manſos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur, ita lectionem non crudam, ſed multa iteratione mollitam & veluti confectam memoriæ mandent; tune, inquam, diceres, M. Fabi, iſtic dari operam ſtudio, aut quid agatur intelligi, ſi tot libros, qui non alendis modo, ſed ſaginandis, ut ita dicam, pluribus ingeniis ſufficiant, ab uno quaſi helluone non legi quidem videres, ſed quodammodo devorari? At ni ita faxim, quandonam, inquit, curſum jam inſtitutum abſolvam? Brevia ſunt vitæ ſpatia, Artium longa. Si certis quibuſdam libris immorari neceſſe ſit at-

(5) *lib.* 10. *cap.* 1.

atque innutriri, nihil temporis, quod ceteris tribuatur, ſuperſit. Quid pluribus opus eſt, Auditores? Ipſi enim ultro ita ſe patefaciunt & produnt, ut me ſane pigeat hominibus tam ingenuis rurſus moleſtum eſſe, & ſecretiores eorum latebras ac receſſus, ſi qua forte alia monſtra intus alant, diligentius ſcrutari. Itaque mitto quærere, quinam tandem, & cujus claſſis ſint libri ipſi, qui tractantur tam anxie; non examino, utrum ad rem Poeticam adhibeatur libentius Virgilius, an Lucanus; ad Oratoriam Cicero, an Plinius; ad Hiſtoriam Livius, an Marcellinus, fontes, an rivuli, atque compendia; ad ceteras denique Diſciplinas Auctores ipſi, an præfixæ eorum Operi Præfationes, Summaria, Elenchi, ut ſi illam pæne infinitam maximarum rerum vim atque copiam complecti legendo revera non poſſint, attamen apud homines ſemidoctos complexi eſſe videantur. Hęc, inquam, omnia, quæ ſatis commode aſſequi conjectura poſſumus, perquirere ſine invidia non poſſumus, libenter relinquo. Parumne vero graviter urgentur ipſi confeſſione ſua, cum declarant, ſe coactos neceſſitate neſcio qua evadendi eo, quo intendunt, nuſquam conſiſtere, nullius inge-
nio

nio ſe familiariter dedere, omnia curſim & properanter tranſmittere, devorare quamplurima, nihil concoquere? Quid reſtat aliud, niſi ut etiam illud fateantur ingenue (quod quidem conſequitur neceſſario) ſe recte & callide nihil ſcire? Dicit hoc ſatis clare, ſi forte ipſi non audent præ verecundia, dicit hoc, inquam, Seneca (*6*) qui iſtiuſmodi generis hominum iners negotium ſæpe caſtigans, modo eos comparat peregrinantibus, qui habent hoſpitia multa, nullas amicitias; modo plantis, quæ ſæpius translatæ non convaleſcunt; modo ſtomachis faſtidientibus, qui ubi multa ac diverſa deguſtent, inquinantur, non aluntur. Huccine igitur recidunt illa promiſſa tam ſplendida, quæ in tantam expectationem erexerant noſtros animos? Hicine Atlantes illi, qui ſe paullo ante profitebantur totum velle litterarium orbem ſuis humeris ſuſtinere? Tune iſto ingenio, quodcumque id ſit, certe humano, ſperare auſus es, poſſe te unquam tollere tantam molem doctrinæ; & quæ Theologi de rebus divinis, Juriſperiti de legibus & decretis, Hiſtorici de memoria temporum, Philoſophi de obſcuritate naturæ, Aſtronomi de cęlo, Bo-

(*6*) *Epiſt.* 2.

Botanici de herbis, Chimici de metallis, alii de aliis rebus copioſiſſime diſputant, omnia complecti? Non te ipſi iſtarum Artium inſtitutores & Magiſtri in eam cognitionem adducebant exemplo ſuo, ut quas Facultates & Diſciplinas ipſi tam excellentibus ingeniis præditi diſſociandas putarunt, & alii alias, ſingulas ſinguli coluerunt, eas tibi univerſas, niſi audaciſſimus eſſes, aut ludere operam velles, omnino appetere non liceret? Quid agebas? tua conſilia, cogitationes, curæ quo tandem ſpectabant? An tot vigiliarum tantorumque laborum hanc unam mercedem petebas, ut ejuſmodi ſcientiam tibi conflares, quæ ſatis eſſet, ut poſſes te conſtituere in oculis hominum; verſari alacriter in omni cœtu litteratorum; nuſquam jejunus aut elinguis videri; citare prompte breves ad hoc ſtudioſius collectas Auctorum ſententias; proferre ſatis appoſite, ſi non ſatis temperanter, multa axiomata, apophthegmata, exempla; eruditi denique & πολυμαθὴς nomen paſſim famamque obtinere? Tanti faciebas, miſer, hanc vanitatis pleniſſimam gloriam, ut ejus cauſa tam improbis te laboribus frangeres; & quod caput eſt, illa interim ſtudia remitteres, quæ tibi cum

cer-

certa uberrimi fructus ſpe, partim a natura, quæ pro ſuo arbitrio alios ad alia vocat & fingit, partim ab ipſo vitæ inſtituto, cui te tua ſponte devinxeris, graviſſime commendantur? Age enim, ad quem litteratorum ordinem, ad quam familiam, pro ſuſcepta vitæ ratione, potiſſimum ſpectas? Grammaticuſne tu, an Philoſophus; Theologus, an Juriſperitus; Medicus, an Geometra? Ne longius abeam, Auditores, relictis ceteris, unum provoco ex hoc numero; Theologum volo. Monet enim hic locus, ut de hoc hominum genere præcipue loquar, & hanc nobis traditam Juventutem, ad illud inſtitutum, quo ſpectare videtur, alieno, ſi poſſim, periculo informem. Magnum quoddam onus profecto atque munus eſt, ſuſcipere & profiteri, ſe eſſe eum, qui de arcanis Divinis, de oraculis Scripturarum, de Conciliorum decretis, de Jure Pontificio, de doctrina veterum Patrum, de monumentis Eccleſiæ, de dogmate, de diſciplina (id eſt enim Theologum eſſe) copioſe poſſit & graviter reſpondere. Quid quæris amplius? Fundum habes, quo nullus alius in univerſis litterariis regionibus aut amplitudine major, aut melior feracitate.

Cur,

Cur, quaſi non ſatis locuples, in alienos agros amens invadis? *Tantumne* (hunc enim hominem deliciarum appetentiſſimum libenter perfrico Terentiano ſale) *tantumne*, inquam, *eſt ab re tua otii tibi, aliena ut cures, eaque nihil quæ ad te attinent?* (7) Si tota vita domeſtico tantum prædio colendo curam impendas, non tibi nova quotidie ſuppetat ſeges quam demetas; non gignatur quotidie aliquid in quo elabores; non tempus rebus, quam res tempori, citius deſit? Quorſum igitur tot Auctores profani, ſatis jam pernicioſi ob id ipſum, quod tibi Sacra profitenti non proſunt? Quorſum illi (quo potiſſimum nomine appellem, non ſatis ſcio) artifices & magiſtri earum rerum, quæ tibi dediſcendæ eſſent, ſi didiciſſes? Non hi, accito ſtatim emptore (invenietur autem facillime) cum Sanctis Patribus, cum Interpretibus Scripturarum, cum Annalium Eccleſiaſticorum Scriptoribus, cum Criticis Sacris, cum Canoniſtis permutentur? Nam, pro Deum atque hominum fidem, cur hujus generis libri, quaſi res hic non agatur tua, numerantur tam pauci? Sciantne homines illi, qui bibliothecam tuam conſulant,

(7) *Heaut. act.* 1. *ſc.* 1.

lant, te Theologum eſſe? Quid ſi conſulant temetipſum? Sciant fortaſſe Grammaticum te omnino non ſordidum, Poetam non ineptiſſimum, Hiſtoricum ſatis bonum, Phyſicum non penitus contemnendum; Theologum quidem certe, niſi juratus dicas, non ſciant. Qui enim ſcire poſſint, cum ſentiant, te alacrius reſpondere, ſi interrogent de ſyſtemate Neutoniano, quam de Geneſi Moſis; de verſibus Catullianis, quam de Pſalmis Davidicis; de Geometricis demonſtrationibus, quam de Evangeliis; de Antiquitatibus Romanorum, quam de Hiſtoria veteris Teſtamenti; de fabulis denique Poetarum, quam de Scripturis? Itaque ſi opus ſit homine, qui Theologicum aliquem intricatum locum ſcienter expediat, de te, credo, ne cogitent quidem; & veniant ſciſcitatum libentius, quot libros Didymus Grammaticus ſcripſerit, quam quot Epiſtolas Apoſtolus Paulus; quæ monſtra domuerit Hercules, quam quos Hæreticos profligaverit Auguſtinus; quid actum ſit in illo ridiculo Diocletiani juſſu coacto Senatorum conventu (8) de piſce rhombo magnitudinis miræ, quam quid in graviſſimis Eccleſiæ Conciliis ſan-

(8) *Juven. Sat.* 4.

ſancitum de dogmate & diſciplina. O tuæ igitur ſpes fallaces, o contentiones inanes tuæ! Amiſiſti tuum patrimonium, ut invaderes in aliorum fortunas; nullus es in tua patria, ut videreris eſſe aliquis in aliena. Te felicem, ſi, quod operæ conſumptum eſt in ſupervacuis, contuliſſes in neceſſaria. Regnares in tua Diſciplina, ſi alias non appetiſſes, & pauca eſſent quæ tu neſcires, ſi non laboraſſes, ut diſceres nimis multa. Hactenus de Theologo. Quid autem neceſſe eſt, reliquos litteratorum ordines in medium produci? Philoſophi, Medici, Mathematici, Juriſconſulti, quinam ſunt in ſua Facultate ſtrenue, ut par eſt, occupati, quin ſentiant, vix, & ne vix quidem tantum ſibi temporis tribui, quantum ſatis ſit ad ea penitus cognoſcenda, quæ propria ſunt Artium, quas profitentur, aut cum illis maxima cognatione conjuncta? Hinc illæ ad ravim uſque a nonnullis repetitæ querelæ, Diſciplinarum curricula late patere; hominis autem vitam adeo exiguis terminis circumſcribi, ut noſtrę cogitationes & curæ ſæpe in medio curſu frangantur & corruant. Quod ſi ita eſt, ſatiſne ſani ſunt ii, qui hoc ipſum breviſſimum tempus profundunt; qui horas ſibi unis debitas re-

rebuſque ſuis, in curas vel alieniſſimas dividunt; & cum laborare pro ſuo inſtituto naviter debeant de errantium ſtellarum curſu, cogitant de erroribus Ulyſſis; cum mentem defigere in contemplanda admirabili lege naturæ, ſudant in legibus carminum, & dimenſionibus ſyllabarum; inſtabiles denique & vagi, in varias, ut Proteus, formas momento temporis ſe convertunt? Quid eſt, quin eos amice moneamus, ut brevem vitam breviorem ne faciant jactura temporis; ut reſpiciant ſeſe; ut conſulant arti ſuæ; ut intra crepidam tandem, quod veteri proverbio præcipitur, ſe contineant? Sed de his viderint alii. Ad vos quod attinet, Adoleſcentes, quid ego in arduo a vobis ſuſcepto curſu præcipue poſtulem, jam edixi. Quare, ſi quando feriant veſtras aures inanes plauſus, qui iſtiuſmodi hominum generi interdum dantur, nolite invidere. Magno impendio vitæ, magno bonarum Artium damno, magna alienarum aurium moleſtia conſtat hæc laudatio, O hominem eruditum! Vobis talem animum velim, ut multæ in illo artes, multa præcepta ſint, ſed quæ in unum, ſicut lineæ in centrum, conſpirent. Quorſum illa ſtudia, in quibus ubi fuerit

ætas

ætas veſtra conſumpta, audiendus aliquis ſit, qui aurem vellens dicat (9) *Utilius dormire fuit, quam perdere ſomnum atque oleum?* Reputate, magnam eſſe ſapientiæ partem, quædam neſcire; illa ipſa, quæ bona ſunt, tamdiu prodeſſe, quamdiu locum habent; ut ſtomachis, ſic etiam ingeniis nauſeam ſæpe magis nocere, quam famem. Nunquam proinde excidat e veſtris animis illa jam a me ſatis, ut arbitror, explicata Heracliti ſententia. Pergite ornare Spartam, quam nacti eſtis. Suſpicite & admiramini aliena caſtra; ſed veſtra defendite. Uno verbo, unicuique veſtrum edictum putate id quod Virgilius agricolæ (10) *Laudato ingentia rura; exiguum colito.*

(9) *Auſon. epigr.* 33. (10) *Georg. l.* 2.

DE PHILAUTIA.

ORATIO XI.

In litteraria republica nulla peſtis eſt major, quam φιλαυτία.

UNdecimus jam annus eſt, cum rei huic litterariæ curandæ præfectus, noſtræ fidei commiſſos Adoleſcentes ad optimam ſtudiorum rationem publice informo, & pro mea facultate explanans quotannis viam, quam potiſſimum ſequi debeant, eo gradatim promoveo, ubi defuncti ſcholarum laboribus meam amplius operam non requirant. Venimus ad hanc metam; & jam emenſo eo curriculo, quod inſtitueram, non aliæ videntur eſſe nunc partes meæ, niſi ut eos miſſionem petentes ita proſequar oratione, ut proſpiciam, ſi poſſim, eorum utilitati etiam in poſterum, efficiamque admonendo, ut rem litterariam ſibi mox ſine duce obeundam, inoffenſo pede percurrant. Turbant enim & terrent me blandæ quædam inſidiæ, quas illis clanculum a callido quodam hoſte parari ſentio,

qui

qui tamquam in ſpeculis collocatus eos ſervat quam attentiſſime, ut, ubi a noſtra tutela & cura removeantur, ſtatim nec opinantes excipiat, & applicans ſe familiariter ad eorum latus, ſibi jure veluti quodam ſuo ducis officium & poteſtatem aſſumat. Quinam locus aut privatus aut publicus, in quo hunc habituri non ſint ante oculos, &, quod maxime vereor, ejus nutum, adhortationes, conſilia non libentiſſime ſecuturi? Hunc in zotheca, hunc in circulis, hunc in Academiis, hunc in urbe, hunc in agro, hunc ubique invenient hærentem ſibi, & pro rerum, locorum, temporum varietate modo hilarem, modo triſtem, modo ſpe, modo metu ſollicitum, ſemper anxium, & tam amantem, quam ipſimet ſui ipſorum amantes ſint. Quid vultis amplius? Eſt Amor ipſe, is videlicet, qui a Græcis dicitur φιλαυτία. In hunc igitur finem nos hactenus hanc Juventutem tanta diligentia & labore erudiendam curavimus, ut bonis Artibus & Diſciplinis exculta, traderetur tandem inſtituenda huic magiſtro; & hoc duce peragraret in poſterum litterariam provinciam; hoc auſpice moderaretur ſtudiorum rationem; hoc arbitro de vero & falſo, de

bono & malo, qui quidem fructus litterarum eſt maximus, judicaret? Dii meliora. Quem enim apertum inimicum, Auditores, huic Juventuti ad tutelam præfici non malimus, quam hunc amicum, ita perditum profligatumque ad perniciem, ut non alia de cauſa ſplendidum Amoris nomen ſibi uſurpaſſe videatur, niſi ut nocere poſſit impunius, & bene de nobis meritus putari etiam tum, cum in fraudem impellit? Miræ ſunt ejus fallendi artes, miræ illecebræ & lenocinia; quibus armatus, quænam ingenia vel ſagaciſſima ad excutiendam aſtutiam non audacter invadit? Quid? In hanc ipſam litterariam concionem, niſi diligenter præcludimus omnes aditus, jam irrepit; occupat hæc ſubſellia; inſidiis appetit hanc coronam; me ipſum, quamquam infeſta ſigna inferre incipientem, dolis circumvenit, & ad præſentem accuſationem contra ſe comparatam ſuppeditat fortaſſe arma, quod ſperet, in ipſum tandem accuſatorem hæc eadem poſſe converti. Sed palpet ille & blandiatur, ut libet; hoc certe non impetrabit, ut palam non detegam ejus inſidias, ut horum Adoleſcentium odium in eum non inflammem, ut hoc denique non evincam, nullam in

lit-

litteraria republica peſtem eſſe majorem, quam φιλαυτίαν.

Viget igitur in noſtris animis Amor quidam, non ſponte noſtra arceſſitus, ſed ultro ingenitus a natura, quæ admirabili providentia hominem ita fingit, ut ſibi non benevolus eſſe ullo modo non poſſit. Hic, quamquam datus hominibus ad ſalutem, attamen vitio noſtro ad perniciem ſæpe convertitur; optimus, ſi frenetur iis legibus, quas natura præſcripſit; ſi habenas laxaveris, perditiſſimus. Turbat enim tamquam tribunus aliquis ſeditioſus omnia jura; & illam dominam & reginam rationem per ſycophantiam & dolos lepide circumducens, ſpoliat tandem ea facultate, qua maxime pollet, nempe judicio veri, & ipſe arbiter ſedens, quid verum & falſum ſit, quid amplectendum & repudiandum, obtrudit. Jam hoc Amore in hominum animis tam ſuperbe dominante, quid eſt cur miremur, ſi, quemadmodum in civili republica, ſic etiam in litteraria erroris & illuſionis plena ſint omnia, & quocumque vertantur oculi, multa quidem pallia ſapientum, ſapientes autem admodum pauci inveniantur? Quid mihi improbos labores tuos, quid aſſiduas vigilias,

quid tantam denique & tam multiplicem tibi partam doctrinæ vim atque copiam quaſi in ipſo Sapientiæ faſtigio poſitus jactas? Calles Græcam Latinamque Linguam; tenes abditam veterum Etruſcorum, Phœnicum, Ægyptiorum eruditionem; vales in arte Poetica & Oratoria; diſſerere potes de arcanis naturæ; diſceptare de legibus officiorum; reſpondere de Jure civili; de rebus Geometricis, Aſtronomicis, Mathematicis diſputare. Quid tum poſtea? Oleum & operam perdidiſti, ſi paſſus es in tot tamque gravibus curis & contentionibus palpum a φιλαυτίᾳ tibi obtrudi. Litteræ (quis ignorat?) hac una de cauſa hominum generi datæ ſunt, ut hac medicina curetur infirmitas noſtra; & illæ principes animi facultates, intellectus & voluntas, hoc inſtrumento aſſecutæ quid verum & bonum ſit, ita ſe tueantur & regant, ut in illo judicia ſint recta, in hac affectiones compoſitæ, in utraque virtutis conformitas tanta, ut ambæ ad hominis felicitatem mira conſenſione conſpirent. Hac igitur mercede invitati, relictis domeſticis commodis, neglectis voluptatibus vel honeſtiſſimis, valetudinis ipſius pæne obliti, liberalibus Artibus & Diſciplinis operam damus;

mus; amentes profeſto, & omnium irriſione ludendi, ſi ab hac ſplendidiſſima meta, noſtris cogitationibus & conſiliis alio ſpectantibus, aberremus. Age nunc: cum incluſus in tua zothecula te in litteras totum abdis, quanam ſpe, quonam præmio illum ſentis ardorem ſtudii, illam contentionem & vim, fame, ſomno, æſtu, frigore fruſtra increpante, acui & incendi? Quænam res alit induſtriam tantam? quid poſtulas? quid expectas? Non famam nominis, non incrementum rei familiaris, non plauſus, non dignitates, non cetera vitæ civilis commoda & ornamenta; ſed animi medicinam, ſed veri bonique ſcientiam, ſed illam denique felicitatis effectricem Sapientiam iſti aſſidui labores tui, iſtæ vigiliæ, contentiones, curæ candide ſincereque perquirunt? Libemus pateras Apollini & Muſis, & hunc, quiſquis eſt, tamquam exemplar, eo ſane pulcrius quo rarius, non modo huic Juventuti, ſed omnibus plane litterarum ſtudioſis hominibus proponamus. Macte igitur; explica jam alacriter tuam ſupellectilem, & nequis error noſtris mentibus forte objiciatur, admirabilis hujus ſapientię tuæ ſpecimen ſaltem aliquod nobis præbe. Non quæro de vita &

moribus ; & quamquam princeps ſtudiorum virtus hinc præcipue cognoſcitur , attamen ſi quid eſt , quod tibi invideat hanc laudem , & cum bono , cujus ſcientiam profitearis , ſatis apte non congruat , in præſentia non ſcrutor . Quæro duntaxat de ſcientia veri ; in qua quidem omnis hallucinatio (neſcio quo modo) apud homines litteratos ſolet eſſe tam turpis , ut facilius invenias eum , qui in bono eligendo , quam qui in vero dijudicando , ſe erraſſe concedat . Hoc igitur verum , in quo , ſe judice , nemo fallitur , itane candidum ſincerumque tuis oculis obverſatur , ut timendum non ſit , ne tu , quæ humana infirmitas eſt , ſimulata quadam & falſa ejus imagine decipiaris ? Nullusne in illo ſtudiorum æſtu tibi dolus conſuitur a φιλαυτίᾳ , & præter morem in intimis animi tui latebris ea ſic quieſcit , ut nulla ambitionis titillatione , nullo utilitatis invitamento te irritet , & hiſce duabus veluti machinis , quibus flectere ſolet fere omnia ingenia , non conetur pervincere , ut in veritatis inveſtigatione conniveas aliquando , & fucum tibi fieri patiaris ? Nugæ , inquis . Quid ſi hæc vulpecula jam evaſit e latebris , inſcio te ; ſi tibi nihil tale metuenti jam po-

poſuit inſidias; ſi te ſuis retibus jam implicitum tenet; & quo minus id ſentias, in hanc opinionem te callide inducit, ut credas, te uni veritati ſervire, cum revera tibi ipſi, tuæque alicui cupiditati tacitus ſervias? Quid hæres ſtupenti ſimilis, quaſi, quam lepidos ludos hæc facere conſueſcat, alieno ſaltem periculo edoctus quotidie non ſentias? Videſne, quanta in omnibus fere Scientiis Sectarum varietas ſit; quot, quamque inter ſe diſcrepantes ſententiæ jactentur; quanto animi ardore ac pertinacia homines in factiones diviſi rixentur & pugnent? Cur, ſi veritas una eſt, non unus item conſenſus eſt omnium; unum & idem omnes, compoſitis tandem litibus & contentionibus, non pariter probant? An hi qui falſum defendunt, ita a communi ſenſu abhorrentes ſunt, ut verum non ament, & volentes ſcienteſque exſecrabili quadam perverſitate & malitia hoc inſectentur & vexent? Nihil minus. Cur igitur falſum defendunt? cur ſententiam non mutant? cur & privatim & publice nos decipiunt? Decipiunt, quia decipiuntur a φιλαυτίᾳ. Hæc certis quibuſdam Sectis atque ſententiis deſtinat eos & adſtringit, antequam quid optimum & veriſſimum ſit, judi-

dicare poſſint; tum ſemel adſtrictos, blando quodam incantamento ita detinet, ut ad eas tota vita placide ſuaviterque adhæreſcant. Magiſtri auctoritas, unde illas acceperint, conſuetudo aut lex ejus loci, in quo vivunt, ſpes præmiorum, ad quæ nituntur, faciunt, ut illas mirifice ament, & eo minus dubitent, utrum ſint veræ, quo magis ſentiunt cum ſuis commodis & rationibus eas convenire. Magno in honore eſt, uti noſtis, apud nonnullos homines Peripatetica Philoſophia, & novis quibuſdam Philoſophis perperam reclamantibus, cuſtoditur tam ſancte, ut ad cathedras, titulos, dignitates nemini patere aditum velint, quin quaſi aliquo ſacramento Ariſtoteli obſtrictus ſit. Quid opus eſt alia commendatione, ut hæc, qualiſcumque ſit, veriſſima videatur ei, qui ad illos honorum gradus aſpiret? Itaque addiſcitur, probatur, defenditur. At Ariſtoteles. Noli vexare: ſeu vera dixerit, ſive falſa, hoc certe verum eſt, me in eo quod expetam, ab Ariſtotele non illudi. Paullo ſplendidior eſt, & ad ſæculi gratiam accommodatior recens Philoſophia. Quid mirum, ſi hanc tamquam filiolam deoſculetur is, qui vult emergere e vulgo, & in ea, quæ nunc

eſt,

eſt, litteraria republica aliquis eſſe, aut videri? In hac igitur, eo quidem judice, mira ſuavitas, in hac vis ingenii incredibilis, in hac veritas manifeſta. At illæ opiniones novæ. Quid vis? has ut explodam, & irridentibus parietibus pæne ipſis, non modo hominibus, Peripateticus ſim? Ita, dum alios utilitatis, alios gloriæ, alios aliarum rerum cupiditas ducit, in medio relinquitur veritas, aut certe ita quæritur, quaſi non ipſa ſit finis, quo pertingere debeas, ſed inſtrumentum, cujus ope alii alio, ad ſuam quiſque metam, pertingant. Quid ego nunc hanc Juventutem, cujus monendæ cauſa in hunc tam lubricum locum invitus deſcendi, a Phyſico regno in alias litterarias regiones ducam, eique non lepidos ludos, ut antea, ſed funeſtas tragœdias a φιλαυτίᾳ paſſim editas ob oculos ponam? Quam enim Artem & Diſciplinam obire poſſim, quæ, maxima cum verecundia illius veritatis, cujus litterati omnes ſe ſtudioſiſſimos profitentur, non ab hac peſte vehementer vexata & afflicta inveniatur? Num ab hac rixarum plena Philoſophia ad illam pacatam & quietam, quæ de bonis rebus & malis, deque hominum vita & moribus diſputat,

gra-

gradum faciam? Frontem aſpice; nihil pulcrius. Prudentiſſimæ leges, inſtituta optima, præcepta præclara, omnia egregie compoſita ad veritatem. Euge! At has leges, hæc inſtituta, hæc præcepta (quę quidem ſi neſcias, etiamſi omnia noveris, nihil ſcias) quinam homines diſcunt? quantam in his operam collocant? ubi ſunt? Omnes abſtraxit, & aut Gaſſendo, aut Carteſio, aut Neutono erudiendos tradidit φιλαυτία. Itaque Philoſophiam, quæ a ſapientiæ ſtudio nomen accepit, vix aliam eſſe intelligimus hac ætate, quam illam, cujus perveſtigatione non raro homines a ſapientia ipſa avocantur. Num ad illam laudandarum omnium Artium reginam Theologiam me convertam? Sacræ litteræ, Traditiones, Concilia, ſummi Pontifices, Sancti Patres quidam firmiſſimi velut aggeres ſunt, quibus vallata veritas & circumſepta, nullum hoſtilem impetum reformidet. Quid ſi in arcem tam validam & tam munitam clanculum & per cuniculos penetret φιλαυτία? Hoſtis eſt intra mœnia; actum eſt. Jam introduci impudenter humana ratio; vocari ad ejus examen Divina arcana; gliſcere novitatis cupiditas; Fides paullatim frigeſcere; minui auctoritas Scri-

ptu-

pturarum ; foras tandem erumpente audacia atque temeritate, inviĉtis nixa præſidiis veritas ejici & explodi. Num ad ipſam veritatis lucem Hiſtoriam tandem deſcendam? Nemo neſcit, primam eſſe illius legem, ne quid falſi dicere audeat; deinde, ne quid veri non audeat. Quid? Ego virorum Principum, cum maxime poſſim, gratiæ non ſerviam? non timeam offenſionem potentium? non patriæ, non amicorum rationem habeam? non meminerim officiorum? obtrectationes, injurias, inimicitias, cum tanta opportunitas detur ad ulciſcendum, penitus obliviſcar? En abrogata per φιλαυτίαν lex Hiſtoriæ, everſa illius fundamenta, nutans ſcribentis fides, veritas profligata. Sed ego remota perſequor; & φιλαυτία ipſa fortaſſe mira quadam ſagacitate & aſtutia nobis aliena vitia ob oculos ponit, ut illa interim, quibus nos ipſi obnoxii ſumus, aut eſſe poſſumus, diſpicere non poſſimus. Scrutemur ergo propiora nobis; & manticam noſtram, importuniſſima hac peſte fruſtra aliquando infremente, excutiamus. Nos ſemper diſcimus; certe diſcendi cauſa libros ſemper tractamus, impalleſcimus his, in his conſeneſcimus. Semper porro diſcentes, ad veritatis ſcientiam

tiam unquamne pervenimus? Quænam ſunt ea ſtudiorum curricula, quænam viæ, quas ad illam evadere cupientes, præcipue ſectamur? Sunt enim aliæ aliis potiores; nec ſane parum interſit, utrum æmulemur Platonem, qui omnem ætatem in Sapientia ipſa perveſtiganda conſumpſit, an Grammaticum illum Didymum imitemur, qui, teſte Seneca (1) quatuor ſcripſit librorum millia, laborans conatu tanto, ut illa perquireret, quæ tibi dediſcenda eſſent, ſi didiciſſes. Quaſnam igitur litterarias regiones, quænam gymnaſia, quoſnam magiſtros ad ſcientiam veri inveniendam adimus? Ad Theologum ne an ad Poetam; ad Juriſperitum an ad Geometram; ad Philoſophum an ad Phyſiologum ventitamus? Amor, corculum, curæ demum atque deliciæ noſtræ illane Scientia eſt, quæ ſana, ſolida, fructuoſa eruditione & doctrina nos ornet, an quæ inaniis tantum oppleat atque inflet? Semper in ſtadio ſumus. Quorſum autem imus? Nempe eo, quo (2) *fulgente trahit conſtrictos gloria curru*. Hæc, Auditores, a φιλαυτίᾳ pulcre inſtructa ad perniciem, callide moderatur ſtudiorum rationem; hæc ſollicitat noſtros ani-

(1) *Epiſt.* 88. (2) *Sat.* 6. *l.* 1.

animos dies noctesque ; hujus cauſa tot labores , tot vigilias , tot curas ſuſcipimus & ſuſtinemus ; ab hac denique ſuaviter invitati & illecti , pæne ſimilia facimus Græculis iis hominibus , quos apud Tullium (3) Craſſus irridet , qui ſimul ac diſcum increpantem audiſſent , non dubitabant Philoſophum in media oratione de maximis rebus & graviſſimis diſputantem relinquere , & leviſſimam delectationem graviſſimæ utilitati anteferre . Utinam vero blanda hæc animorum conciliatricula contineretur intra cancellos illarum Artium , quæ a ſapientibus viris ambitionis fomenta vocantur , nec ad eas etiam ſerperet aliquando , quæ gravitatis & prudentiæ pleniſſimæ , ſuapte natura vanitatem omnem levitatemque rejiciunt . Videmuſne , ut homines in harum ſtudio occupati digladientur in ſcholis , incaleſcant in publicis certaminibus , cedere nolint , id , quidquid eſt , de quo dimicent , acrius & pertinacius , quam miles caſtra , defendant ? Quo tantus ardor ? quænam res agitur ? Quæſtiones acutulæ , controverſiæ ſubtiles , λογομαχίαι . Miſer ! tam parvo in ſympulo excitas fluctus tantos ? Gerræ ſunt , apinæ , tricæ . At ejuſmodi , in-

(3) *lib. 2. de Or. c. 5.*

inquit, quæ ſi defendi non poſſint, de ingenio, de fama, de facultate actum ſit. Itaque ſi forte evertantur, videmus eos perinde æſtuare, ac ſi ruat alto a culmine Troja. Comparari nova præſidia, excitari ſocii & amici, colligi undique opes & copiæ, inſtaurari certamen, deſcendi in aciem, quidquid id eſt, cujus defenſio ſemel ſuſcepta ſit, vel capitis ipſius periculo defendendum putari. Hinc Apologiæ iracundia inflammatæ, Criticæ livore ſuccenſæ, Scripta nigræ loliginis ſucco conſperſa, omnia ambitionis, invidiæ, malevolentiæ ita plena, ut dubitari non poſſit, quin ultimus locus veritati (ſi modo huic locus eſt aliquis) relictus ſit. Age nunc, quænam vis excitat has contentiones, inſpirat hos animos, inſerit hanc pertinaciam, incendit has iras, hæc arma demum tam indecora & pudenda adminiſtrat? Dii te perdant, labes & peſtis ſtudiorum teterrima, φιλαυτία. Parumne luctuoſam litterariæ reipublicæ te futuram putabas, cum ſuperbiſſime te jactares in leviſſimis Artibus, & prudentiæ inaniſſimis, niſi in ipſa Sapientiæ templa pedem inferres, & homines tam excellentibus ſtudiis deditos ab utilibus & neceſſariis ad ambitioſa, ab ambitioſis ad hæc

tam

tam indigna & abſurda avocares? Tuæ ſunt illæ quæſtiunculæ ad ingenii oſtentationem inaniter excogitatæ; tuæ illæ inſanæ tragœdiæ & turbæ earumdem cauſa commotæ; tua illa convicia, contumeliæ, probra impudenter jactata; quid autem (ut paucis complectar omnia) quid, inquam, deformitatis & vitii uſquam eſt, quod non ſit prorſus tuum? An eloquentiam, politiorum Artium reginam, a nativa formæ ſuæ dignitate degenerantem, & non modo in profanis, ſed etiam in ſacris concionibus ſaltatriculæ in morem putide laſcivientem videmus? Ducitur ad has ineptias a φιλαυτίᾳ. An facultas Poetica ad celebrandas Deorum laudes, & ad hominum mores caſte integreque formandos utiliter nata, nunc per ſummam temeritatem ſacra & profana omnia perfricat ſatyrico ſale, & innocentiam caſtitatemque fœda obſcenitate contaminat? Corrumpitur a φιλαυτίᾳ. Hæc ambitionem, principem litterarorum morbum, inſtigat & nutrit; cujus inaniſſimo quaſi vento Suffeni quidam ſic inflantur & turgent, ut nihil, niſi ſeipſos & ſtudia ſua, ſuſpiciant & probent. Ab hac robur & vires accipit illinc invidia, hinc adulatio, utraque callida & ingenioſa, illa

in laudibus extenuandis, ut æmulos deprimat, hæc in augendis, ut laudatores conciliet, qui hoc ſuaviſſimo quaſi cantu invitati, ſibi conſone ſicut echo reſpondeant. Hujus culpa alii anxie laborant in rebus inanibus, alii frigent & ſtertunt in neceſſariis; illi, quia putant ſibi nihil eſſe neſciendum; iſti, quia exiſtimant nihil eſſe, quod neſciant. Remove φιλαυτίαν; quanta virtutum ſeges repente ſuccreſcat, quanta docilitas in ingeniis, ſanitas in voluntatibus, integritas in judiciis, concordia in opinionibus, lenitas in diſſidiis, modeſtia in cenſuris, verecundia in ſermonibus, gravitas in ſcripturis, quanta ubique ſapientiæ lux, quantus veritatis ſplendor affulgeat! Jam obmuteſcere nebulones & vappæ; coercere ſcribendi libidinem nugivendi; parcere alienis ſcriniis plagiarii; abjicere ſuos aculeos ſophiſtæ; inanem ducere ſuam ſupellectilem aucupes ſyllabarum; cogitare de ſolidiore doctrina helluones librorum; gerrones, thraſones, maledici, rabulæ, circulatores, ceteræ omnes iſtiuſmodi peſtes ſubito conticeſcere. Hinc bibliothecæ expurgatæ quiſquiliis, ſcholæ liberatæ clamoribus, magiſtri παιδαγωγίᾳ, cathedrę faſtu, roſtra vaniloquentia, cœtus e-

ru-

ſuditorum λογοδιαῤῥοίᾳ, audientium aures tædio & ſatietate. Talem, Auditores, & tam florentem litterariam rempublicam haberemus, ſi φιλαυτία non regnaret. Quin igitur animos ſumimus aliquando, & hunc non amicum ſed hoſtem, non ducem ſed proditorem, pro noſtra quiſque facultate exterminandum curamus? Incipiamus a nobis ipſis, nec pigeat inveſtigare, num hæc nitedula in ſtudiis noſtris ſpecioſo aliquo integumento velata & tecta tacite deliteſcat. Sint callidæ quantum libet ejus inſidiæ; nonne his veſtigiis pervenire poſſis ad fontem, unde illæ dimanent? Quorſum laboro? Cur hæc potius, quam illa ſtudia conſector? Quænam occulta vis animum flectit, ut hanc malim, quam illam Sectam amplecti? Si ſpolier hac dignitate, ſi amittam hæc præmia, ſi ſolam veritatem, nudam, integram, incorruptam in oculis feram, num hanc ſententiam, hoc inſtitutum perinde ſequar & probem? Suſcipiam hanc defenſionem, ſi nihil ſperem? Deſeram hoc patrocinium, ſi nihil metuam? Adornem hanc laudem, ſi amore ſim liber? Inſtituam hanc ſatyram, ſi vacuus ſim odio; & helleboro candido, ut olim Carneades (4) cum refel-

N 2 len-

(4) *Agell. l.* 17. *c.* 15.

lendos ſuſciperet Zenonis libros, corporis ſuperiora purgarim? En vobis, Adoleſcentes, detectæ jam illæ inſidiæ, quas φιλαυτία vobis parat. Cavete, ne decipiamini. Miſeri, ſi contentionum veſtrarum fructus non alius ſit, quam ejuſmodi ſcientia, quæ inflet animum, non erudiat! Macti virtute eſtote; facite vos felices. Quo modo autem? Non fama nominis, non oſtentatione ingenii, non vana eruditione & doctrina, ſed mente ſana, & non ad pompam, ſed ad veritatem inſtructa illis rebus, quæ ad Sapientiam perducant. Huc eundum; huc veſtra vos utilitas vocat; huc omnes labores noſtri; huc vota demum & curæ Principis Eminentiſſimi, qui nobis & univerſæ Patavinæ Eccleſię ad tantam felicitatem, quantam vix optare audebamus, divinitus datus, non inani, ut ego, oratione, ſed ipſo admirabili & poſterorum omnium memoria & imitatione digniſſimo exemplo ſuo hortatur quotidie & monet, ut contendamus omnes naviter ad Sapientiam, & tanto lumine præfulgente (5) *Hoc opus, hoc ſtudium parvi properemus & ampli*.

(5) *Hor. Epiſt.* 3. *l.* 1.

DE

DE
VERO LITTERARUM FINE.
ORATIO XII.

Litteratus vere dici nemo poteſt, niſi probus vir.

MInime vellem, ut φιλαυτία, peſtis litterariæ reipublicæ pernicioſiſſima, reorum habitu anno præterito in hoc judicium a me producta, & concordibus ſententiis veſtris damnata & ejecta, iterum vobis ſiſtenda eſſet, & de novis criminibus, iiſdemque multo graviſſimis poſtulanda, quæ & meam in exponendo fidem, & veſtram in judicando ſeveritatem rurſus requirant. Ac ſi per hos ingenuos Adoleſcentes, ad quorum utilitatem ſpectare debet oratio mea, deſinere mihi liceret; ego vero libenter quieſcerem, & φιλαυτίᾳ jam dimiſſa, quamlibet aliam quæſtionem habere mallem quam iſtam, in qua diſputare neceſſe ſit de vitiis ejuſmodi, quæ nec detegi poſſunt ſine verecundia, nec ſine offen-

ſionis periculo refricari. Quærendum enim de vita & moribus Litteratorum, & oculorum acie paullo acrius quam antea in noſmet ipſos intenta, eæ demum latebræ perveſtigandæ, in quibus noſtro maximo cum dedecore & damno labes hæc deliteſcit. Quid? An eas inſidias, quas hæc blanda animorum conciliatricula intellectui noſtro quotidie ſtruit, Juventutis hujus monendæ gratia, patefacere antea conatus ſum; illas, quibus circumvenit voluntatem ipſam, & quamſæpiſſime in fraudem impellit, data nunc dicendi occaſione, aut diſſimulem malitioſo ſilentio, aut, cum detexero, libere non reprehendam? Utrum tandem abſurdius eſt, & in eo, qui Sapientiæ ſtudia profiteatur, minus ferendum, aberrare a vero, an a bono deflectere; probare falſum, an malum ſequi; intellectu demum an voluntate, opinione an re, oratione an vita decipi & falli? Veniant igitur in hoc judicium non, ut antea, notiones noſtræ, ſed affectiones ipſæ; & ſtudio partium remoto, perquiratur demum quid ſit, quod homines litteris dediti, tanta bonarum rerum cognitione illuſtrati, tot tamque inſignibus adjumentis inſtructi ad probitatem & innocen-

tiam,

tiam, non ſint tamen innocentiſſimi, indulgeant cupiditatibus, ſerviant ambitioni, inflentur ſuperbia, tabeſcant invidia, ardeant malevolentia, delectentur obtrectatione, gaudeant vindicta, aliis denique hujuſmodi morbis & peſtibus imperitorum hominum more contaminati inveniantur, immo imperitos ipſos interdum tantum ſuperent pravitate & malitia, quantum ingenii laude, doctrinæque præſtantia antecellunt. Video me difficilem ſane locum, invidiæque pleniſſimum ad dicendum ſuſcipere; ſed recreor præſentia veſtra, Auditores, & hac tanta ſapientiæ luce ex omnium oculis emicante erigor facile in eam ſpem, ut non modo non injucunda, ſed tanto etiam gratior auribus veſtris accidere poſſit oratio mea, quanto gravius reprehendere videatur eos, qui litteras veſtras non vitam, ſcholas non diſciplinam, ſtudia non facta imitantur. Secernam igitur hos a vobis; immo, vobis ipſis probantibus, ab univerſa litteraria republica ſecernendos curabo, dum oſtendam, Litteratum vere dici neminem poſſe, niſi virum probum.

Probitas (quis ignorat?) omnibus prompta eſt, & in quolibet vitę genere, ſi colatur, coaleſcit. Attamen, ut quædam ar-

bores alio facilius, quam alio in agro naſcuntur; ſic alia commodius, quam alia in vita gignitur virtus, aut vitia procreantur. In otio luxuria, in negotio avaritia, in foro fraus, in militia vis & audacia. In vita Litteratorum nihil hujuſmodi, ſed omnia ita compoſita ad probitatem, ut monſtro ſimile videatur, ſi forte in hac, pro læta virtutum ſegete, infelix lolium & ſteriles naſcantur avenæ. Hæc remota ab otio, ſecreta a turba, curarum expers, voluptatum ignara, ab omnibus denique rebus iis ſegregata & ſejuncta, quibus allici humana imbecillitas ſolet, & a virtute avocari. Breves ſomni, frugales menſæ, contentiones magnæ, relaxationes modicæ, eæque hujuſmodi, ut proſint corpori, animo non officiant. Dixeris, hanc tolerantiæ, parſimoniæ, modeſtiæ, juſtitiæ, virtutum omnium magiſtram eſſe; ita certe immunem vitiorum, ut ne Cupidini quidem in hac locum eſſe Venus ipſa teſtetur apud Lucianum (1) valde mirata, illecebris ejus & lenociniis Jovem, Mercurium, Martem, Deoſque ceteros potuiſſe irretiri; Minervam & Muſas, quippe in graviſſimis ſtudiis ſuis ſemper de-
ſi-

(1) *Dial. Ven. & Cup.*

fixas, nunquam potuiſſe. Quid illa porro, quæ cum hac vita conjuncta ſunt, aut ab hac perquam raro ſejuncta? valetudo imbecilla, frequentes morbi, dolores capitis familiariſſimi, ſqualor oris, debilitas ſtomachi, vires denique & ſpiritus aſſidua contentione ſtudiorum exhauſti & conſumpti? Poſſuntne pravæ animi cupiditates, tot ſibi ad audendum fomentis ſubtractis, non elangueſcere, & fervidi quondam earum motus ac turbulenti, hac vitæ ſeveritate tanta, hoc labore, his incommodis non ſedari & extingui? Itaque ab illis hoſtibus, qui negotium faceſſere maxime poterant, aut libera jam innocentia, aut certe non valde vexata, quid eſt, quin efferat ſeſe alacriter, & eum demum fructum oſtendat, qui tantæ expectationi, quantam Litterati hominis nomen & dignitas movet, ſatis apte reſpondeat? Num eæ vulpeculæ, quas victus aridus, inſomnes noctes, contentiones aſſiduæ domare debuiſſent, adhuc moleſtæ ſunt, & in illa feliciſſima ſolitudine atque ſilentio probitati & virtuti ſatis ſecurum otium tranquillitatemque eſſe non ſinunt? Euge; cur ita trepidas, quaſi in promptu non habeas arma, quibus tandem exterminentur; aut blan-

blanda quædam incantamenta non ſuppetant, quibus ſic mulceantur, ut illæ quondam immanes belluæ, quas ſuaviſſimo citharæ cantu Orpheus delinivit, & feritatis ſuæ jam oblitas, quocumque voluit, mira facilitate pertraxit? Habes, inquam, eruditionem atque doctrinam; cujus quanta vis ſit ad ferociſſimas quaſque cupiditates frenandas, hac lepidiſſima imagine Poetæ docuerunt. Qua porro alia de cauſa nobis litteræ datæ ſunt, niſi ut hac medicina curetur infirmitas noſtra, & illæ principes animi facultates, intellectus & voluntas, hoc inſtrumento affecutæ quid verum & bonum ſit, ita ſe tueantur & regant, ut in illo judicia ſint vera, in hac affectiones compoſitæ, in utraque virtutis conformitas tanta, ut ambæ ad hominis felicitatem conſpirent? Quod ſi hanc tam præclaram mercedem nobis litteræ non offerrent, putaſne, perferrentur earum cauſa labores tam improbi; tanta hominum cujuſcumque generis multitudo ad illas confluerent; celebrarentur ſcholæ tanta frequentia; inſtituerentur tot Collegia; paterent tot tamque nobiles Academiæ; & tanti ſumptus cum privata liberalitate, tum publica munificentia quotidie fierent, ne qua nobis incitamen-

menta & præſidia ad percipiendas litteras deſint? Itaque non ad ſcientiam inanem, ſterilem, infecundam, ſed ad ipſam felicitatis effectricem Sapientiam aſſidui labores noſtri, vigilię, contentiones, curæ, per hæc varia ſtudiorum curricula nituntur ac tendunt. Studemus Humanitati? Nomen ipſum declarat, nihil nos aliud velle, niſi ut expolitione doctrinæ emolliantur mores, & neſcio qua feritate Sapientiæ inimica ſenſim depulſa, dociles eſſe incipiant & plane humani. Vacamus Dialecticæ? Facimus eo conſilio, ut ſpolietur animus pravitate opinionum, & hac veri & falſi diſceptatrice & judice adjutus, in Sapientia perveſtiganda non decipiatur. Damus operam Philoſophiæ? Paſſis, ut ita dicam, velis hoc curſu ad Sapientiam pervehimur, a cujus amore Philoſophia græco verbo nomen invenit. Theologiam aut Moralem aut Scholaſticam profitemur? Tandem in portu ſumus, & Sapientiam ipſam tenentes, docemur Sirenios cantus alio invitantes contemnere, & ad hanc ſtationem tutiſſimam, donec ad alium multo feliciſſimum portum demigrandum ſit, fideliter adhæreſcere. Hinc rudes homines, & his liberalibus Artibus ac Diſciplinis non expoliti,

ti,

ti, in nos intuentur quaſi in Semideos; notant actiones noſtras ſicut norman & canonem vitæ; excipiunt reſponſa & ſententias tamquam oracula; nec arbitrantur in eo, quod attinet ad humanam imbecillitatem & inſipientiam, quidquam poſſe nobis eſſe commune cum vulgo, qui tanto intervallo ſapere ſupra vulgus videamur. Hinc deferuntur ad nos controverſiæ omnes de bonis rebus & malis; nobis curationes mandantur, quæ maximam probitatem & prudentiam requirunt; nec alio ex ordine niſi ex noſtro deliguntur Cuſtodes, qui præficiantur Juniorum inſtitutioni & diſciplinæ, Magiſtri, qui animos ad virtutem, pietatem, & religionem informent, Magiſtratus, quibus commendetur hominum ſalus, & in quorum tutela & fide ſacra & profana omnia conquieſcant. Hinc Poſidonius (2) unum diem hominum eruditorum plus patere ait, quam imperiti longiſſimam ætatem; Epictetus (3) ſolos eruditos liberos eſſe; ceteros autem Socrates (4) vilia mancipia & ſuarum libidinum ſervos; Ariſtippus (5) equos indomitos; Cleanthes (6) ſola forma diſſimiles bellua-

(2) *Sen. Ep.* 78. (3) *ap. Arr.* (4) *Eraſ. l.* 8. *apopb.* (5) *Laert. in Ariſt.* (6) *Max. ſer.* 27.

luarum; Plato (7) animal ferociſſimum omnium; mitiſſimum vero maximeque divinum, ſi recta inſtitutio & doctrina adjungatur. Videſne tandem quid ſit Litteratum hominem eſſe, & quantam Sapientiæ lucem hujuſce ordinis dignitas poſcat? Tu quantam habes bonorum vim atque copiam, cujus commendatione poſſis ſine repulſa in claſſem tam nobilem & illuſtrem adſcribi? Age, excute tuam ſupellectilem; vide quid profeceris ſtudio tuo, quas virtutes acquiſieris, quæ vitia ſuſtuleris, quas cupiditates fregeris, quas funditus exſtirparis. Palles, miraris, taces? Putabaſne, curam iſtarum rerum ad Litteratum non magnopere pertinere, & tibi ſatis fore ad eam laudem, ſi oſtenderes, te callere vetuſtas Linguas, & prompte atque alacriter poſſe aut de Jure Civili, aut de arcanis naturæ, aut de rebus Geometricis & Mathematicis reſpondere? Memoriæ ſcilicet & intellectus decora iſthæc ſunt, tamdiu pulcra & laudanda, quamdiu illinc aliquid commodi & ornamenti in voluntatem ipſam redundet. Quid ſi autem, ceteris facultatibus ſplendidas opes ſuas oſtentantibus, hæc una arida, nuda, inornata in-

(7) *l. 6. de leg.*

inveniatur? Quid ſi turpibus etiam maculis & vitiis notata, iiſdemque indidem procreatis, unde maxime interitum & perniciem expectare debuiſſent? Quid ſi (dicam clarius) deprehendatur examinando, e litteris illis tuis eum demum fructum te collegiſſe, ut refrigeſceret pietas, minueretur religio, excitaretur ſuperbia, pullularet invidia, pectus armaretur audacia, lingua imbueretur veneno, quod in æmulos quoſque tanto ipſa acerbius evomeret, quanto eam litteræ ad exponenda animi ſenſa expeditiorem feciſſent? Non ſcrutor, an ita ſit; ſed ſi eſſet, auderesne tam deformibus vitiis contaminatus nomen tuum profiteri apud eos, quos Litteratos, hoc eſt probatiſſimos homines & ornatiſſimos, nominamus? Quænam enim iſtorum Centuriæ hominem ab ſua diſciplina atque inſtituto tam abhorrentem recipere poſſent, & in ſuum cenſum referre? Philoſophi? Reclamant hujuſmodi vitæ omnia illorum præcepta; quorum vindex acerrimus Ariſtoteles quanta gravitate aditum tibi præcluderet, qui Juventutem ipſam, quamquam levioribus culpis obnoxiam, ingreſſu prohibendam putavit? Theologi? Ferreſne graves eorum vultus & ſupercilia, ſi, Sa-

cris

cris Scripturarum Libris, quibus utuntur familiariſſime, tibi ob oculos poſitis, ad illorum rationem exquirerent mores tuos; & illam arrogantiam, invidiam, dicacitatem cum charitate in Deum & in homines, primariis ſuæ Facultatis cardinibus, tibi ſubito, ſi quidem Theologus eſſe velles, mutandam edicerent? Juriſperiti? Riſum, credo, tenere vix poſſent, ſi te forte ad pluteum ſedentem ingentibus illis Codicibus circumfuſum viderent tamquam interpretem earum legum, quarum nutum auctoritatemque contemnas; & ſalſa cachinnatione illinc detruſum, ad Divina Jura, unde hæc humana profecta ſunt, cognoſcenda amandarent. Quid? Phyſici ipſi, Metaphyſici, Aſtronomi, Mathematici, quamquam de vitæ preceptis ex ſcholæ inſtituto non laborantes, attamen vitiorum iſtorum pertæſi, multo graviorem, quam putas, tibi dicam impingerent; & iſtam ipſam tam exiguam pietatem & religionem manifeſto indicio eſſe contenderent, te hujuſmodi Diſciplinas vix e limine ſalutaſſe; provocaturi, ſi neges, ad illum iſtarum Artium judicem peritiſſimum, Franciſcum Baconum de Verulamio, non ſatis polite, ſed tamen graviter pronuntiantem

tem (8) *leves guſtus in Philoſophia movere fortaſſe ad Atheiſmum , ſed pleniores hauſtus ad Religionem reducere*. Jam ab omnibus Litteratorum ordinibus varie jactatus & pulſus, quid reliqui eſt, niſi ut locum tibi aliquem captes in illa ſaltem Litteraria republica, quam in Cebetis Thebani Philoſophi Tabula prudenter adumbratam videmus. Nos in hac Tabula tamquam in ſtadio ſumus, & longam peregrinationem aggreſſi, ad amœniſſimam quamdam arcem edito in loco poſitam (nempe ad Eruditionem) contendimus. Viam inire incipientibus variæ ſtatim mulieres occurrunt, forma ſplendida, ingenio pravo: Opiniones ſcilicet, Cupiditates, & Voluptates. Amplectuntur ſingulos, offerunt opem ſuam, ſe ut ſequamur, invitant. Sequimur eas plerique, & his ducibus lepide circumducti, ad aliam tandem ſpecie non valde diſſimilem arcem alii alio tramite pervenimus. Credimus Eruditionem eſſe; eſt autem Falſa Eruditio, diciturque a Cebete Ψευδοπαιδεία. Ingreſſus facilis, patentes fores, ſpatioſæ viæ, urbs ampla, incolæ pæne infiniti. Quinam autem? Alii Poetæ, alii Oratores, alii Dialectici, alii Phyſici, alii Arith-

(8) *l. 1. de Augm. Scient.*

Arithmetici, alii Geometræ, alii Aſtronomi, alii Grammatici, alii Critici, horum ſimiles alii multi; nunquam perventuri ad veram Eruditionem, quia putant ſe perveniſſe. Habes jam in hac ficta litteraria republica quod in vera contingit. Quid quæris amplius? Num monitorem aliquem aut interpretem, a quo locus tibi in hac Tabula deſtinatus ac debitus demonſtretur, expectas? Non te ipſa conſcientiæ vis, quæ tibi quotidie exprobrat vitia tua, in eam cognitionem adducit, ut credas, illas Cupiditates, quæ ſemper offuciis ſuis ſurſum vorſum tibi os ſublinere conſueverunt, fucum feciſſe etiam tum, cum ad Eruditionem contenderes, & eo pervenire cupientem, errore blando ad Ψευδοπαιδείαν traduxiſſe? Tu, hoc animo tam inflato, hac fronte tam elata, his oculis tam liventibus, his naribus tam aduncis, hac lingua toxico tam infecta, futurum ſperabas, ut locum aliquem invenires in ea Civitate, quam homines incolunt maximis quibuſque virtutibus ornatiſſimi, ſumma prudentia, pietate inſigni, charitate eximia, modeſtia in primis tam ſingulari, ut in omnibus ſtudiis ſuis nihil aliud habere in animo videantur, quam mo-

Digitized by Google

nitum illud maxime neceſſarium, ſed ſemidoctis inuſitatum & peregrinum, *noſce te ipſum*? Abi igitur cum hominum tui ſimilium turba in eum locum, quo tua te cupiditas duxit; noli multitudinem imperitam diutius fallere pallio Sapientiæ; fac, ut pateant conſilia tua, & fatere, te, cum litteris operam dabas, non revera Litteratum eſſe, ſed duntaxat videri voluiſſe, & quidvis potius, quam hanc probitatis atque virtutis effectricem Eruditionem appetiviſſe. Regnet hæc aliquando a malorum communione ſeparata & ſejuncta; ſecernantur a veris ejus amicis ſimulati & falſi; & ad quam quiſque tribum aut claſſem potiſſimum ſpectat, ſimulatione tandem depoſita, ad illam diſcedat. Habet hic in deliciis amœniora ſtudia; proluit quotidie labra nectare Caballino; nullum interim vitæ magiſtrum, nullum ex Socratica diſciplina Philoſophum unquam attingit? Abeat ad voluptarios; quandoquidem litteræ penes hunc meretriculæ quædam videntur, quibus, ſicut cum Helena ille Homericus Paris e prælio profugus, ſeſe oblectet. Errat ille anhelans & ſudans per varia ſtudia, turbat bibliothecas omnes, ſollicitat librorum indices, vexat typographos,
ſcri-

ſcriptitat ſemper aliquid, & quodcumque ſemel chartis illeverit, omnes geſtit a furno redeuntes ſcire lacuque & pueros & anus? Tranſeat ad ambitioſos; quippe nihil poſtulans aliud conatu tanto, niſi ut ſibi quædam velut excelſa turris exſurgat, unde deſpectans homines ceteros, pumiliones præ ſe atque homunculos putet. Vendit ille doctrinam ſuam qualemcumque mercede pacta, odit ſterilia ſtudia, pecunioſa ſectatur, & ea ſic inſtituit, ut, ſi affulſerit lucri ſpes, paratus ſit derepente mutare omnia, defendere quæ non probet, quæ defenderit improbare? Migret ad tabernarios; quando in liberaliſſimo litterarum ſtudio perinde verſatur quaſi in quadam officina ad quæſtum & mercaturam; quandonam ad Sapientiam, theſaurum in primis quærendum, evaſurus, ſi utilitate irretitus, non ſecus ac Atalanta aureo pomo (9) *declinat curſus*, *aurumque volubile tollit?* Colligant igitur hujuſmodi Litterati ſarcinulas ſuas; coacervent ac ſtipent illa Poematia impudentem laſciviam & turpitudinem redolentia; Satyras procacibus jocis, & ſalibus mordaciſſimis inquinatas; Opuſcula opinionum novarum, nec ſatis cla-

(9) *Ovid. Metam. l.* 10.

re cum dogmatis Fidei conſentientium temeritate polluta ; Elogia putido venalis adulationis artificio & colore fœdata ; & his corruptiſſimis mercibus ſuffarcinati , in illam tanta advenarum multitudine atque frequentia celebrem ψευδοπαιδείαν ſe recipiant. Jam hac ſentina , unde maximum dedecus & ignominia in univerſam rempublicam litterariam redundat , exhauſta & ejecta , quanta ei dignitas , Auditores , quantus ſplendor & ornamentum ſubito accedat? Deſinere ſtatim illæ graves tragœdiæ , quæ in litteras ſæpe tamquam in artificia ad fovendum otium & ambitionem inventa excitantur ; obmuteſcere Cynici , qui (10) omnes liberales artes & ſtudia contemnunt ; diſcedere a ſua ſententia Zeno , qui ſtatim initio Librorum de Republica , liberalem doctrinam inutilem eſſe & vanam contendit ; teſtari denique Seneca , ſuum illud (11) *liberalium Artium conſectatio moleſtos* , *verboſos* , *intempeſtivos* , *ſibi placentes facit* , in quamlibet aliam , quam in hanc tam electam Litteratorum nationem convenire. In hanc omnium oculi , ſtudia , admirationes , plauſus converti ; & hujus egregia cumulataque virtute expectatio illa

(10) *Laert. in Menedemo*. (11) *Ep.* 88.

illa demum expleri, ad quam ſapientiſſimi Tridentini Patres omnium animos erexerunt, cum in illo omnium, quæcumque vidit Eccleſia, graviſſimo auguſtiſſimoque Concilio tam præclare de litteris judicarunt, ut morum diſciplinæque reformationem non aliunde, quam ab illarum commendatione auſpicandam putarint, & Seminaria in primis ad Juventutem erudiendam inſtitui paſſim voluerint, doctrinæque ſtudia magno ubique ardore & cura excitari; quo facilius, expulſa ignorantia, malorum omnium origine & fonte, poſſent everti hæreſes, exſcindi vitia, diſciplina reſtitui, pietas, religio, probitas propagari. Videtiſne, Adoleſcentes, quidnam tandem poſtuletur a vobis, & cujus rei cauſa hic locus, hæ ſcholæ, hi Magiſtri, hi Moderatores, hi Præſides, hi Patroni, hæc commoda tot tamque inſignia vobis comparata ſint a majoribus, aucta a poſteris, aut fideliter conſervata? Virtus quæritur, & eo quidem major, quo majora vobis ad eam adjumenta præſtantur. Cavete, ne fallatis expectationem. Magnum a vobis onus ſuſceptum eſt, ſed facile ſuſtinendum, ſi vos non ad ſpeciem, ſed ad veritatem Litterati eſſe velitis. Huc igitur

ſerio incumbite. Noſtis, verus litterarum finis quis ſit, quæ præcepta, quæ leges, quæ exempla, quæ diſciplina. Nolite his abuti ad eas res, a quibus liberaliſſima illarum natura maxime abhorret. Sint tamquam Sponſæ, quæ pulcra faciant vos prole beatos; pietate videlicet, charitate, prudentia, modeſtia, ceteriſque virtutibus; quibus ſplendide inſtructi, vobis honori, aliis exemplo, Patriæ ornamento, Eccleſiæ commodo, Eminentiſſimo Principi gaudio eſſe poſſitis.

DE COGNITIONE SUI.

ORATIO XIII.

Cognitio omnis & ſcientia non inanis modo, ſed etiam peſtifera eſt, ſi deſit cognitio ſui.

CRedo ego, pleroſque veſtrum anno præterito valde miratos fuiſſe, quod a me tam ſevera judicia de Litteratis hominibus inſtituerentur, ut non modo in illorum doctrinam, ſed etiam in mores diligenter inquirendum putarem, & Litteratum vere dici neminem poſſe contenderem, qui eruditionis laudem vitæ probitate non cumularet. Ecquam enim (ita, opinor, vobiſcum ipſi) litterariam rempublicam fore, ſi in ejus civibus numerari non poſſint niſi homines pii; ambitioſi, maledici, invidi, adulatores, omnes, qui aliqua vitiorum labe polluti ſint, tribu moveri debeant, & ablegari? Inveteraſſe jam opinionem, & non ſolum imperitorum, ſed etiam eruditorum ſermonibus percrebreſcere, litterarum ſtudia nihil aut parum conferre

ad mores & diſciplinam; idque ex eo manifeſte probari, quod in tanta multitudine eorum, qui egregiam operam litteris navant, pauci revera egregie morati viri, veraque virtute & ſapientia præditi reperiantur. Aliam nimirum laudem, alia decora & ornamenta ab hoc hominum genere poſtulari oportere; excellens ingenium, memoriam præſtantem, eruditionis copiam, elegantiam ſermonis, induſtriam, ſolertiam, dexteritatem; bonitatem quidem certe, pietatem, & religionem, res eſſe ejuſmodi, de quibus illi magnopere non laborent, immo ne laborare quidem poſſint, ſi modo Litterati eſſe velint, & eas partes, quas hoc nomen imponere videtur, diligenter implere. Quem enim locum, quam famam, quam dignitatem in ea, quæ nunc eſt, litteraria republica conſecuturos, ſi ambitionem, primarium Litteratorum numen, ejurent; ſi ſentiant de ſe demiſſe; non venditent opes ſuas; alienis honorem deferant; nemini invideant; oderint obtrectationem; fugiant vaniloquentiam; non ambitu, non adulatione, non ſatyra, non aliis hujuſmodi uſitatiſſimis artibus ſibi hominum ſtudia admirationemque concilient? Itaque tollendam eſſe prio-

priorem illam ſeveriſſimam legem, & aliam ſubrogandam, quæ Litteratis impertiat impunitatem vitiorum, & palam declaret, animis puſillis & parvis locum non eſſe in illa republica, ac ſi quis elaboret, ut pius, ut modeſtus, ut innocens ſit, in Litteratis hominibus eum eſſe non poſſe. Dii immortales! Talis ne tamque miſera noſtrorum temporum conditio eſt, ut ne iis quidem rebus, quæ nobis datæ ſunt ad ſalutem, uti poſſimus ſine noxæ periculo, & dubitare debeamus, utrum melius ſit, colere omnino litteras, an negligere, amare, an odiſſe? Sed eas oderit ſi quis vult; ab his certe noſtræ fidei commiſſis Adoleſcentibus conſtantiſſime amandæ ſunt, & minime dubitandum, quin his ducibus pervenire commodiſſime poſſint ad eam ſapientiam & probitatem, ad quam aſpirant. Hoc unum tamen ab his petendum, ut in omnibus ſtudiis ſuis referant ſemper animum ad breve illud, ſed optimum & maxime neceſſarium, *noſce teipſum*. Sic enim ſtatuo; cognitionem omnem & ſcientiam tum demum non modo inanem, ſed etiam peſtiferam eſſe, cum deſit cognitio ſui.

Γνῶθι σεαυτόν. En, Auditores, præclariſ-

ſimam illam ipſi Pythico Oraculo adſcriptam vocem, quam ego, ſi per vos licet, a Delphico templo, in cujus fronte ad publicum documentum Proceres Græciæ inſcribi voluerunt, ad ſcholas transfero, & omnibus litterarum ſtudioſis Adoleſcentibus, tamquam graviſſimum canonem, & nunquam impune violandum, fidenter propono. Quis eſt, qui æquiſſimo animo ac libentiſſimo hanc non accipiat, & in hac, ſicut in ſpeculo, cum rationem officii ſui, tum veram indolem litterarum tacite non agnoſcat? Quid enim litteræ docent, ſi hoc, quod maximum eſt, non docent, ut ipſe te noſcas, id eſt, ut noſcas animum tuum; cumque ipſum perſpexeris totumque tentaris, non item oſtendunt, quo modo eum, detractis omnibus vitiis, perceptiſque virtutibus, beatum efficias? Et nimirum hanc habet vim, ſi Ciceronem audimus (1) præceptum Apollinis, quo monet, ut ſe quiſque noſcat. *Non enim, credo*, inquit, *id præcipit, ut membra noſtra, aut ſtaturam figuramque noſcamus; neque nos corpora ſumus; neque ego tibi hæc dicens, corpori tuo dico. Cum igitur, Noſce te, dicit, hoc dicit, Noſce ani-*

(1) *Tuſc.* 1. *c.* 22.

nimum tuum; ex qua cognitione tot bona tamque eximia proficiſcuntur, ut eorum admirabilem copiam & vim idem Cicero (2) diligenter complexus, eo demum homine, qui ſe norit, nihil dici, aut excogitari beatius poſſe confirmet. Ab hac igitur cognitione, quam jure ac merito primam omnium eſſe vult graviſſimus auctor & ſapientiſſimus D. Bernardus (3) debent Adoleſcentes auſpicia ducere ſtudiorum ſuorum, & in iis ſemper ita verſari, tamquam in inſtrumentis divinitus datis, quibus excolant animum ſuum, & ad virtutem atque ſapientiam, maximum ejus decus & ornamentum, informent. Quid? Nonne in hanc ſpem optimi Parentes Liberos ſuos litteris tradunt, & tot tantorumque ſumptuum, quos ea de cauſa libenter faciunt, non hanc mercedem efflagitant, ut e ſcholarum umbra in conſpectum ho-

(2) *l. 1. de leg. c. 22. & ſeq.*

(3) Serm. 36. in Cant. *Volo animam primo omnium ſcire ſeipſam; quod id poſtulat ratio & utilitatis & ordinis. Et ordinis quidem; quoniam, quod nos ſumus, primum eſt nobis; utilitatis autem, quia talis ſcientia non inflat, ſed humiliat, & eſt quædam præparatio ad ædificandum.*

hominum tandem producti, cum oratione, tum vita, ſe, litterarum ope, ad perfectam cognitionem ſui jam provectos, omnique ex parte, quantum humana conditio patitur, expolitos oſtendant? Quæ porro alia res Liberis ipſis perſuadet, ut hoc potiſſimum vitæ genus, moleſtum profecto & laborioſum, ſuſcipiant, & ſcholarum tędium, Magiſtrorum ſeveritatem, libertatis jacturam, valetudinis detrimentum patienter ferant? Quid volunt, cum Grammaticum, cum Poetam, cum Rhetorem tam anxie conſulunt, & tanta ſedulitate ad eos, non imbre, non frigore, non æſtu prohibiti ventitant, niſi ut ii pro ſua facultate ſibi animum præparent ad eam ſapientiam, quam uberius & plenius a graviorum Artium Magiſtris ſe mox accepturos confidunt? Defuncti puerilibus ſtudiis ad Dialecticum migrant. Tum vero quanta ſapientiæ lux eorum oculis oboriri, cum ille veri & falſi acutiſſimus diſceptator & judex offuſas menti denſiſſimas tenebras incipit doctrinæ ſuæ ſplendore illuſtrare, rationemque certam & regulam tradere, qua ſe ſuaque diſpicere ſagaciter poſſint, & ſine errore dijudicare? Ab hoc porro ad Phyſicum ducti, cum cœlum, terras, maria, rerum-

que

que omnium naturam perſpiciunt, & quid in iis mortale & caducum, quid divinum & æternum ſit, vident; in hoc conſpectu & cognitione rerum non ſeipſos pariter vident, ſentienteſque aliquid ſe habere divinum, non maxime abſurdum putant, ſi tanto cuncta regentis & moderantis Dei munere non ſemper aliquid dignum & faciant & ſentiant? Ad illam vero omnium bonarum rerum parentem atque altricem Philoſophiam, quam Ethicen Græci dicunt, tandem provecti, cum tot tamque gravia de bonis & malis rebus præcepta audiunt, poſſuntne, niſi ſtupidiſſimi ſint, non luculenter ſe noſcere, & illo veluti cantu non incitari, quo ſuaviter invitantur ad virtutem, vocantur ad religionem, ducuntur ad veram laudem; a corporis obſequio, ab indulgentia cupiditatum, ab omni turpitudine & labe avocantur? Quod ſi hæc omnia quaſi ſepimento aliquo vallare cupientes, curſu ad altiora inito, aut Theologiam, qua ad omne officii munus in Deum, aut Juriſprudentiam, qua ad civilem ſocietatem cumulate inſtruantur, ſibi cognoſcendam ſuſcipiunt; nonne eam ſibi legem quaſique neceſſitatem imponunt, ut e ſcholaſtica diſciplina tandem egreſſi,

præ-

præclarum quiddam hominibus ad intuendum proponant, & quantum ceteros vicerint expolitione doctrinæ, tantum virtutis laude antecellant? Itaque ſi modeſtiam inſignem, ſi admirabilem temperantiam, ſi charitatem eximiam, ſi juſtitiam, ſi fidem, ſi fortitudinem, ſi integritatem denique ſingularem, juſtam, contentionum iſtarum mercedem & fructum, proferre non poſſint; ecquam demum ſupellectilem explicaverint, quæ reſpondeat Parentum voto, Magiſtrorum curæ, omnium expectationi, & oſtendat, eos in ſcholis oleum & operam non perdidiſſe? Quid? Abſueris mihi tamdiu paterna domo ſtudiorum cauſa; tot annos in illis conſumpſeris; exantlaveris tot labores; audiveris tot magiſtros; tot libros pervolutaveris; &, cum longo intervallo redeas, corruges frontem, & nares contrahas, ſi quis a te lætam virtutum ſobolem & copioſam exquirat? Quorſum enim conatus illi tam excellentes tui? An tu, cum in illo ſtudiorum æſtu nullum negotium ageres niſi tuum, id egiſti tam infeliciter, ut ſatis, ipſe qui ſis, nondum ſcias; & vitiis adhuc contaminatus audire debeas, qui tibi aurem vellens prædicet, *noſce teipſum*? Periimus, ſi ita eſt,

Au-

Auditores, & quem Adoleſcentem tot tamque inſignibus adjumentis inſtrui putavimus ad ſapientiam, iiſdem ipſis nihil tale opinantes ad ſtultitiam inſtruximus. Te miſerum, quiſquis es, qui curaſti, ut rudem hujus hominis linguam Grammatica primum, deinde Rhetorica inſtitutione expolires. Formabas tu illam certe ad civium ſalutem; & idoneam reddebas, quæ homines hortaretur ad decus, revocaret a flagitio, conſolaretur afflictos, tueretur bonos, caſtigaret improbos, præſidium clientibus, opem amicis, omnibus commodum aut ornamentum afferret. O ſpes fallaces! Armaſti illam imprudens in omnium perniciem, tuaque illa veluti cote acuiſti, ut acrius inſectaretur æmulos, blandius amicos falleret, audacius vexaret bonos, malos defenderet confidentius, ſereret inimicitias, excitaret ſeditiones, ſacra & profana omnia apta ad perſuadendum oratione turbaret. Tu vero, Philoſophe, quid poſtulabas, cum hanc pulcherrimam Mundi fabricam tanta diligentia hujus oculis exhibebas? Erat illud, opinor, conſilium tuum, ut operis tam eximii admiratione excitatus, facilius erigeret ſeſe ad Opificem ipſum, tantoque majore in eum cultus & religionis ſtu-

ſtudio exardeſceret, quanto clariora infinitæ potentiæ ejus & providentiæ impreſſa ubique veſtigia deprehenderet. Extinxiſti, miſer, omnem pietatem ejus & fidem, cum augere cupiebas; & Geometricæ illæ ac Mechanicæ leges tuæ, neſcio quo pacto, ita ejus mentem infatuarunt, ut illis amens uti ſe poſſe crederet tamquam quibuſdam machinis, quibus exſecrabili audacia Superis ipſis, Gigantum more, bellum inferret. Hiccine porro eſt ille, o Theologe, quem tu, cum ejus animum cœleſtis doctrinæ luce perfunderes, deſtinabas maximis rebus, & ad patrocinium virtutis, ad terrorem audaciæ, ad Hæreſeos perniciem, ad Religionis præſidium, ad Eccleſiæ univerſæ decus & commodum comparabas? Peſtem & furiam teterrimam comparaſti, quæ perturbaret Eccleſiæ pacem novitate opinionum, quæ Fidem & Religionem peſſundaret licentia vitæ, quæ crearet periculum innocentiæ peſſimo exemplo, quæ ſigna denique & facem ſceleri conſtitueret, tantoque majores animos adderet improbitati, quanto callidius poſſet & ſuis & aliorum flagitiis defenſionem aliquam, aut excuſationem obtendere. Nihil temere dico, nec vana ſuſpicione & metu ad rem ex o-

ra-

ratoria conſuetudine augendam horum Adoleſcentium aures atque animos compleo. Magna litterarum vis eſt; exitus ſi non optimus, funeſtiſſimus. Si in animum incidunt integrum & ſincerum, ſicut ſaluberrimus cibus in ſtomachum non vitiatum illapſus, mirifice proſunt; ſi in ægrum jam & corruptum, non modo eum non alunt, ſed corruptæ etiam ipſæ, & in pravos veluti humores & noxios converſæ, penitus perdunt. Quid vultis amplius? Thebanæ Sphingi pæne ſimiles ſunt, quæ, cum proponere hominibus conſueſceret ænigmata quædam difficillima ad explicandum, ſiqui illa extricare feliciter poſſent, dimittebat incolumes, ſiqui non poſſent, eos occidebat. *Noſce teipſum*; en id ænigma, cujus interpretationem a nobis litteræ exquirunt. Num ejus vim & ſententiam, graviſſimam hercule & nobis dignam, aſſequimur? Salva res eſt; fidæ ad ſapientiam, ad quam curſum noſtrum dirigimus, duces ſunt. Non aſſequimur, aut, quod aſſequimur, propter ægritudinem animi non præſtamus? Conclamatum eſt. Acuunt ipſæ aciem ingenii noſtri ad malitiam, & mira quadam metamorphoſi, ſi collibitum ſit, de Theologis impietatis ma-

giſtros, de Philoſophis errorum artifices, de Oratoribus patronos audaciæ, de hominibus monſtra hominum generi pernicioſiſſima efficiunt. Cui notæ non ſunt funeſtæ illæ & ferales tragœdiæ, quas ſuperioribus ſæculis in Gallia, in Anglia, in Germania ſacrilegi homines Theologico pallio atque armis inſtructi cum acerbiſſima Catholicæ pietatis & religionis clade ediderunt? Cui non auditæ contentiones pertinaciſſimæ, quibus acutuli quidam Philoſophi in Oriente jampridem Eccleſiam vexarunt, piis & religioſis hominibus per ea tempora ita ſuſpecti & inviſi, ut eos Tertullianus (4) Hæreticorum Patriarchas vocare non dubitarit? Cui denique ignotæ ſeditiones, turbæ, bella, cædes, incendia, quæ & in Italia & in Græcia cum luctuoſiſſima privatarum rerum publicarumque everſione & excidio perditorum hominum eloquentia excitavit? Quid illa monſtra, quæ in omni angulo litterariæ reipublicæ in oculos hominum, cum incredibili & illorum faſtidio, & dedecore noſtro, quotidie incurrunt? Quodnam, per fidem veſtram, genus hominum uſquam eſt, in quo, ut virtutes, ſic vitia ipſa tam inſignia ſint,
quam

(4) *Lib. de Anima c. 3.*

quam in noſtro; ambitio tam impudens, livor tam perditus, adulatio tam putida, dicacitas tam maligna, inimicitiæ tam acres, odia tam inexpiabilia, labes uno verbo atque morbi aut magis deformes, aut minus ſanabiles emendabileſque, quam noſtri? ita ferente illa Sphinge, de qua jam dixi, ut aut putemus errare nos nunquam, aut errorum noſtrorum caſtigatores pati nolimus. Noſtri ſunt nebulones illi & Suffeni, qui inflantur & turgent tanta ſuperbia, qui leviſſimas merces ſuas jactant tanto faſtu, qui alienas contemnunt tanta arrogantia, qui venantur hominum plauſus tanto artificio, qui nihil admirantur niſi res ſuas, neminem laudant niſi ſeipſos, aut eos aliquando, a quibus ipſi laudantur. Noſtræ illæ Cenſuræ & Apologiæ, in quibus calumniæ, maledicta, contumeliæ, probra ſic inter ſe digladiantur & certant, quaſi in contentionibus litterariis victoriæ laus debeatur ei, non qui veritatem gravius defendat, ſed qui adverſarium ſuum allatret impudentius, & Theonino dente plures ei plagas & acerbiores imponat. Noſtræ illæ Satyræ procaciſſimæ, quæ honeſtorum hominum famam crudeliter lacerant, & acerbiſſimis ſuſpicionibus, odiis,

tumultibus omnia permiſcent. Noſtra illa Poemata obſcena & laſciva, quæ Juventutis incautæ molliſſimos animos fœdæ voluptatis illecebra miſere irretiunt, & pudorem atque innocentiam iis maculis ſordibuſque conſpurcant, quæ vix ulla in poſterum expiatione & remedio eluantur. Hinc fremere homines non ſtultiſſimi adverſus Ordinem noſtrum; & alii nos tamquam ignavos fucos, & ad omnia non publica modo, ſed privata etiam domeſticaque negotia ineptos contemnere; alii tamquam humani generis labem & peſtem abominari, & a nobis inermibus periculi pæne plus metuentes, quam ab armatis, probare conſilium eorum, qui litteras omnes a ſuis civitatibus & imperio velut funeſtam facem avertunt. Laudare Meſſenios (5) qui ſeveriſſima lege Philoſophos & Poetas tamquam corruptores Juniorum ex oppido ſuo per præconem exterminarunt; Lacedæmonios (6) gravitatis & prudentiæ laude præſtantes, qui in ſua republica nullum litteris locum eſſe voluerunt; Romanos (7) prudentiſſimos omnium & ſapientiſſimos, qui, C. Fannio Strabone & M. Valerio Meſſa-

(5) *Athen. l.* 12. (6) *Idem l.* 13.
(7) *Agell. l.* 15. *c.* 11.

ſala, coſſ. rurſus Cn. Domitio Aenobarbo & L. Licinio Craſſo cenſoribus, Domitiano quoque Imperatore, Rhetores & Philoſophos decreto graviſſimo ex Urbe atque Italia exturbarunt. Dii meliora! Quid iſthuc eſt, quod gignit hæc monſtra; provocat has querelas; excitat hos tumultus; hanc ignominiam, hæc vulnera, has clades nobis tam audacter infligit? Noli turbari. Quæris Aram, ad quam confugias? *Noſce teipſum*. Jam conticeſcere omnes querelæ; frangi omnes iræ; comprimi omnia convicia; conciliari omnium ſtudia; omnium plauſus, omnium approbationes in nos litteraſque noſtras ſtatim converti. Quid enim pulcrius, quid amabilius homine illo, qui norit præclare multa, ſed nihil melius norit, quam ſeipſum; qui ſit totus aptus ex ſeſe; qui nihil dicat, nihil faciat, nihil cogitet denique, niſi ſapienter; cujus conſilia ſint ad ſalutem, præcepta ad inſtitutionem, exempla ad normam optimæ diſciplinæ, ut qui hunc audiat aut videat, Numen ſibi aliquod aut Oraculum videre atque audire videatur? Ab hoc quotidie conſilium expetere cives ſui; hunc audire in publicis gymnaſiis ſumma frequentia; huic dare operam domi ma-

ximo ſtudio ; ad hunc referre de graviſſimis rebus ; huic demandare honorifica imperia ; hujus demum prudentiæ & integritati curas omnes committere , quibus & privatorum ſalus , & publica utilitas continetur. Hic , Auditores , legitimus litterarum fructus eſt , hæc merces vera , tanto a me commemorata libentius , quanto pulcriora ejus exempla in hac ipſa corona veſtra tam ſplendida , quocumque convertam oculos , mihi occurrunt. Ad hunc igitur fructum omnes conatus noſtri referendi ſunt , eaque ſtudia præcipue amplectenda , quæ ad hunc nos promovere maxime poſſe videantur. Quid enim refert, te incluſum domi ſedere ad pluteum diu noctuque , ſudare , algere ; ſi erres interim in delectu ſtudiorum , & ad illa deflectas , quæ afferunt delectationem ; virtutem autem, quietem, tranquillitatem nec afferunt, nec promittunt? An res litteraria nobis tam parum lautum velut convivium parat, ut niſi ad bellaria & placentas manum porrigere non poſſimus? Sume alias dapes. Graves inde ægritudines , graves morbi , ſi ſuaviſſima Oratorum & Poetarum mella paullo auſteriore ſeverioris doctrinæ ſucco non temperentur. Perge naviter ad Sapientiam. Quid i-

mi-

mitaris ridiculos illos procos Penelopæ, qui, ea relicta, ad ejus Ancillas dilapſi ſunt? Tranſi ad meliores curas; adi Morales Philoſophos, Theologos, Scripturarum Interpretes, Canoniſtas; & his aliiſque hujuſmodi adjutoribus & magiſtris, noſce teipſum, & diſce aliquando frenare libidines; ſpernere voluptates; iracundiam tenere; coercere avaritiam; ambitionem, invidiam, malevolentiam, ceteras animi labes repellere. Quid? Viderit hæc indoctus; doctus & litteratus hæc non videbit? Quo valet doctrina noſtra, ſi ad illud, quod momenti eſt maximi, nihil valet? Quo noſtra oratio elegans & polita, ſi vita eſt turpis? Quid intendimus oculorum aciem cum Mathematicis in maculas planetarum, ſi in ipſis interim noſtris ſordibus connivemus? Quid laboramus cum Juriſperitis de reſponſis conſultiſque Sapientum, ſi Superum ipſorum graviſſimas leges & jura contemnimus? Quid increpamus acriter cum Theologis hominum vitia, ſi noſtris ignoſcimus, & oratione pugnante cum vita, Scyllam, Poetarum fabulis celebrem, quodammodo exprimimus, pulcram & formoſam ſuperne (8) at ſua fœdatam latranti-

(8) *Ovid. Met. l.* 14.

tibus inguina monſtris? Cavete, optimi Adoleſcentes, ne de vobis narretur unquam hæc fabula. Nunquam autem narrabitur, ſi diligenter, quod ſpero, teneatur a vobis graviſſimum hoc præceptum, γνῶθι σεαυτόν. Figite hoc igitur alte in animis veſtris, & hoc inſtructi defendite litterarum gloriam, profligatam ſæpe & afflictam eorum ſtultitia, qui nunquam habitant ſecum, & quidvis potius, quam ſeipſos, norunt. Gerite ſtrenue negotium veſtrum, & mirum quemdam cum ſcientiæ tum vitæ concentum efficite; doctrinaque pariter & virtute ornati, palam oſtendite, deliraſſe Petronium Arbitrum, aut certe ſomniaſſe, cum dixit (9) *Adoleſcentulos in ſcholis ſtultiſſimos fieri*.

(9) *initio Satyr.*

Ad

Ad Illuſtriſs. & Reverendiſs.

JOANNEM ARCHIEPISC. MINOTTO-OTTHOBONUM EPISC. PATAV.

ORATIO XIV.

Habita in S. Theolog. Collegio III. Non. Jan. An. MDCCXXXI.

QUod a Deo Optimo Maximo enixe precati ſumus, ut, probatiſſimo Antiſtite nobis erepto, is demum in ejus locum ſufficeretur, qui hujus Eccleſiæ pacem, incolumitatem, otium, felicitatemque tueri maxime poſſet; id ratum in ſuperis illis ſedibus habitum eſſe, cum antea ſtatim ſenſimus, tum vero hoc tempore tanta cum voluptate experimur, quanta ex omnium ordinum ſtudio, officio, benevolentia publice apparet. Talem enim nobis Epiſcopum divinitus datum eſſe non jam cogitando conjicimus, ſed oculis ipſis

vi-

videmus, qualem jam tum conſentiens omnium fama non obſcure indicavit, tam honorifice multa prædicans, ut nemo putaret optimi Deceſſoris memoriæ ullam maculam irrogari, ſi funebri officio ei jam perſoluto, uno prope momento temporis a mœrore & luctu ad gaudium & hilaritatem erigeretur, & ſuperioris temporis deſiderium futuræ felicitatis cogitatione leniret. Quem enim Civitatis ſenſum eſſe oportebat, hac Provincia tibi, Præſul Illuſtriſſime & Reverendiſſime, demandata, qui non modo de tua pietate, juſtitia, & fide, ſed etiam de civili prudentia eam opinionem in omnium animis excitaras, ut facile crederemus, qui ſumma cum laude multarum magnarumque rerum adminiſtrationem Romæ ſuſtinuiſſes, te eumdem fore curis paullo gravioribus omnino parem? Itaque fauſtiſſimo nuntio de tua dignitate in urbem perlato, alii aliis mutuo gratulari, & fama rei jucundiſſimæ omnium ſermone percrebreſcente, univerſa Civitas ingenti gaudio repente compleri, decretaque Superis ſupplicatione, teſtari unuſquiſque, eſſe eos Patavinæ Eccleſiæ valde propitios, cui breviſſimo temporis intervallo eum cuſtodem gubernatoremque dediſſent, quem ad

feli-

feliciſſimum rerum ſtatum ſibi maxime poſtularet. Nos vero, ad quos propter inſtitutam vitæ rationem præcipua tantæ lætitiæ pars pertinebat, inter ceteras gratulationes, hac etiam peculiari cauſa lætari cœpimus, quod in Epiſcopo noſtri Collegii Caput agnoſceremus. Ita, cum admirabilis quædam ſtudii atque obſervantiæ magnitudo exardeſceret, hoc eodem ex ordine deligi placuit, qui gaudium noſtrum publica ſignificatione indicaret; quod munus ad me delatum quamquam meis viribus longe majus futurum eſſe ſentiebam; tamen, tam illuſtris Collegii Patribus me potiſſimum depoſcentibus, ſatius exiſtimavi, ſi obſecutus eſſem, meum ingenium requiri, quam, ſi reſtitiſſem, officium deſiderari. Quare onus tam grave non ſuſcepi, ſed recepi; itaque exequar, ut in communis lætitiæ fontibus aperiendis nec plura dicam, quam aures Viri magni & vera virtute præditi pati poſſint; nec ita pauca, ut, qui me tantarum laudum præconem eſſe voluerunt, aut fidem meam, aut diligentiam requirant.

Qui igitur is dies fuit! quam felix, fauſtus, fortunatuſque tibi, Præſul ampliſſime, & huic Civitati illuxit, qui te huic Eccleſiæ,

ſiæ, nos huic Epiſcopo commendavit! Jam hoc primum in illa feliciſſima fortunæ tuæ converſione quam pulcrum fuit, quod optimo Pontifici ita placueris, ut minime dubitarit Provinciam tam ſplendidam illo eodem articulo temporis tibi concredere, quo ſenſit, Succeſſorem deſiderari! Nondum ſciebas, hanc Sedem vacuam patere, cum in ea tua te dignitas collocabat; ut nemo cupiditatem tibi exprobrare poſſit in eo, quod ante obtinueris, quam petere poſſes, aut concupiſcere. Itaque honorem ampliſſimum non diuturnis precibus, nec ambitione, ſed tua virtute impetraſti, cogendus potius, ne oblatum munus reſpueres, quam ne forte avidius arriperes. Scilicet tui pudoris fuit, oneris magnitudine deterreri; cum is, qui onus imponeret, minime ignarus eſſet, quam apte tuis humeris inſideret. Quod enim firmius graviuſque tuæ virtutis teſtimonium requireret, quam quod ipſe non per interpretes & internuntios, ſed ſuiſmet oculis toties hauſerat, cum ita viveres, ut laus tua in loco excelſo & illuſtri poſita eum latere non poſſet? Jam tua probitas, religio, gravitas, & in illa ſatis illuſtri Urbana adminiſtratione explorata prudentia & fides ita de-

devinxerant ejus animum, ut, cum te Archiepiſcopi Nazianzeni titulo decoraſſet, ſibi videretur de tuis meritis parum magnifice graviterque judicaviſſe, niſi eum honorem alio inſigni munere cumularet. Quare ſummo ſtudio & voluntate, cum primum licuit, te ad altiorem dignitatis gradum evexit, ſupremum faſtigium operi incœpto facile impoſiturus, niſi eum tibi in ipſo honorum tuorum curſu fati neceſſitas rapuiſſet. Quamquam tibi quidem, honorique tuo ſatis vixit, qui providit in te ornando, ut, etiamſi alia dignitas non accederet, eam tamen, quæ eſt ipſa per ſeſe ampliſſima, obtineres. Vide enim quid ſentiam, & quanti faciam hoc tam inſigne Pontificis optime de te meriti beneficium, quod te hujus Eccleſiæ Epiſcopum renuntiarit. Non dico, quam pulcrum ſit, tuis inſtitutis & legibus magnam Diœceſim teneri; ad tuum nutum & voluntatem ſacrorum miniſtros converti; tuo arbitrio divinæ beneficentiæ fontes in ceteros derivari; tua denique poteſtate, ſine ullo ſatellitum aut virgarum terrore, ſceleratos & perditos coerceri. Prætereo hæc, quæ tibi cum multis communia ſunt; laudemque alioquin pulcherrimam & præclariſſimam,

mam, tamen, quia patet aliis, libenter relinquo. Quid enim communes fontes adire neceſſe eſt, cum in domeſtico fundo & multi & uberes reperiantur? Magnum ſane nomen, magna ſpecies, magna dignitas Præſulis eſt. At parumne refert, hanc eamdem dignitatem, tam eximiam, tam admirabilem Pataviine, an alia in urbe ſuſtineas? Ecquam enim ampliorem Sedem nobilioremque deſideres, quam quę ſummorum Pontificum judicio ſemper digna viſa eſt, quam Viri Romanæ Curiæ primarii, Chriſtianæ Reipublicæ Cardinales longiſſimo annorum ſpatio alius ex alio obtinerent? ut nemini dubium eſſe poſſit, quin etiam ipſe aliquando hac eadem ratione & via ad eumdem honoris gradum, Superis juvantibus, proveharis. Quid ſi ad ea, quæ circumſtant, tuæque ditioni, aut patrocinio ſubjecta ſunt, animum mentemque convertas? Poteſne, principem hujus Eccleſiæ partem, Capitulum intueri, quin videas planeque ſentias, quam ſplendidum & quam magnificum ſit, te tam ornato Canonicorum cœtu honeſtari, & pro amplitudine tuæ dignitatis principatum tenere inter eos, qui tanta generis nobilitate, tanto virtutis ſplendore, tanta ſapien-

tiæ

tiæ gloria præſtant & florent, ut vel ipſi imperio digniſſimi videantur? Nam quid ego præcipua ejus Ordinis ornamenta tibi commemorem, qui clariſſima tuorum decora memoria repetens, ſtatim animo complectaris Alexandrum VIII. ad ſummum dignitatum omnium gradum ſua virtute provectum, cum prima tantæ amplitudinis fundamenta hoc eodem in Ordine poſuiſſet? Quid porro vetuſtiores, Eugenium IV. & Paulum II.? quid tot Epiſcopos? quid Cardinales haud ita paucos, qui indidem tamquam ex Equo Trojano principes exierunt? ut facile intelligas, te eo Capitulo decorari, quod non minus vere, quam ſplendide, Seminarium Præſulum nuncupetur. Age nunc, ab illo nobiliſſimo Virorum cœtu refer tantiſper animum ad cetera Eccleſiæ membra, quę ad tuam dignitatem ornandam mira conſenſione conſpirant. Quam enim Diœceſim invenias (niſi me fallit amor & charitas patriæ) ubi ſacra diligentius curentur, ubi melius pietas cum doctrina conſentiat, ubi honeſtas morum & elegantia ſervetur ornatius, ubi denique majore ſtudio Eccleſiaſtica diſciplina retineatur? Nihil dico, quod aut antea publica famæ vox ad te non detu-

tu-

tulerit, aut ipſe mox verius ac tutius experiri non poſſis, hujuſmodi Provinciam nactus, quam clariſſimi quique Antiſtites cum ad animi ſui fructum atque lætitiam, tum ad ſplendorem dignitatemque deſiderent. Nec vero Seminarium, hujus Provinciæ partem certe non ultimam, ſilentio prætermittam, præſertim minime ignorans, illi Pontifici optime de te merito hoc in primis viſum eſſe digniſſimum, quod inter tot curas, quas tibi uno eodemque tempore committebat, quam ſtudioſiſſime commendaret. Quid enim pudoris cauſa modice de re tanta, timideque dicam, & in iſtum ſermonem neceſſitate potius, quam mea voluntate delapſus offenſionem reformidem, ſi forte eam laudem, quam verecundia prohibere videtur, charitas ejus loci, cui tantum debeo, vi quadam exprimat atque extorqueat? Vivet profecto in omnem ſæculorum memoriam venerabile nomen Gregorii illius Cardinalis Barbadici, qui grande opus pari animi magnitudine aggreſſus, ingenti labore ſumptuque immenſo aſſecutus eſt, ut hæc litterarum quaſi patria novo Muſarum domicilio decoraretur; & Patavina Juventus omni eruditione & doctrina, quæ Eccleſiaſtico di-

gna

gna ſit, ibidem exculta, redderet uberrimos fructus, & læta virtutum ſobole Parentibus gaudium, Civitati ſplendorem, Religioni præſidium, univerſæ Patavinæ Eccleſiæ utilitatem afferret. Ego vero quid cetera tuæ dignitatis ornamenta colligam, quæ non modo in hac urbe Venetæ ditionis facile principe, ſed etiam in agro longe lateque patente paſſim occurrunt? Viderat hæc, & qualia eſſent pro ſua ſapientia æſtimaverat Alexander VIII. qui, cum modo memoratus Barbadicus ſummum ei Sacerdotium rite gratularetur, magno animi ſenſu reſpondiſſe fertur, ſe Patavinam Eccleſiam tanti facere, ut, qui ei præeſſet, ſibi videretur non longe abeſſe a ſummo illo faſtigio, quod ipſe divino beneficio teneret. Quare gaude iſta tua tam excellenti fortuna, & tantam ſuſtinens curarum molem, non tam oneris magnitudinem, quam ampliſſima ejuſdem præmia intuere. Tuum enim iſtuc imperium eſt, quod veremur; tua iſta dignitas, quam ſuſpicimus; auctoritas, gratia, favor, totum hoc, quantumcumque eſt, totum eſt, inquam, tuum. Cetera vero, quæ a tua dignitate proficiſcuntur, noſtra omnino ſunt; quæ quidem in hac eadem fortuna tua tan-

tam nobis felicitatem impertiunt, ut non ſatis ſciam, in communi gaudio tuane, an noſtra cauſa potiore jure lætandum ſit. Quid enim diutius comprimam, quod jamdiu geſtit animus promere, & Civitatem novi Præſulis adventu in maximam ſpem erectam, expectatione pendere ſinam? Habemus Pontificem, Auditores, integritate morum, pietate, juſtitia, fide, virtutibus omnibus, prorſus dignum, qui Succeſſor daretur illis Corneliis & Barbadicis, qui longiſſimo annorum ſpatio hanc eamdem Provinciam alternis vicibus adminiſtrarunt. Habemus Moderatorem, qui bonitate velit, prudentia ſciat, auctoritate poſſit ita curare ſacra & profana ſibi concredita, ut optima quæque Deceſſorum exempla æmulando aſſequatur. An dubitamus, quid nobis de illo polliceri poſſimus, qui vix Pontifex renuntiatus, juſſit continuo quemque ad felicitatis priſtinæ ſpem reviviſcere, ac potiſſimum aurea Cornelii tempora, cujus æque ac Barbadicorum memoriam omnes anni conſequentes excipient, grata recordatione intueri? Jam tum enim ſignificavit, cujus veſtigia in tanta optimorum Antiſtitum copia præcipue perſequi vellet, cum Vicariam ſuæ Provinciæ

pro-

procurationem, cum tanta omnium approbatione & lætitia, Petro Corneaneo Archidiacono ſuo commiſit, qui Vir ſupra ceteros divina illa Georgii Cornelii ſenſa hauſerat atque expreſſerat, ſummaque vigilantia, prudentia, dexteritate hoc idem munus, eo probante, qui nunquam probavit niſi optima, ſuſtinuerat. Itaque non fruſtra illam præclariſſimam vocem indicem noſtræ felicitatis audivimus; nihil fore in iſta adminiſtratione, quod ad ejus ſapientiſſimi Principis inſtituta & exempla non referatur. Quapropter effloreſcet illud ingenium, illa humanitas, illa virtus digna immortalitate; ſuiſque per Succeſſorem recepta ſedibus, hoc etiam tempore dominabitur illa ſedulitas in tuenda Eccleſiaſtica diſciplina; ille in vitiis enaſcentibus extinguendis animus; liberalitas in virtute remuneranda; in perferendo labore induſtria; in noſtris commodis augendis grata animi benevolentia. Non hæc, Auditores, ad gratiam fingo, nec veſtros animos falſo gaudio temere oblecto. Habemus Epiſcopum ad omnem laudem atque virtutem cum ipſa natura ſua conformatum, tum præcipue optima inſtitutione, atque ea diſciplina, quæ non inani quadam eruditio-

ne, ſed doctrina viro nobili, & ad imperia nato digna continetur. Iis enim Magiſtris ab extrema pueritia uti cœpit, quorum non tam voce, quam exemplo ad civilem prudentiam informaretur, atque ea diſceret, quibus inſtructus quamlibet adminiſtrationem alacri animo adire poſſet. Vidit admodum adoleſcens univerſæ Eccleſiæ gubernacula moderantem eum Alexandrum, quem toties honoris cauſa nomino; cujus virtutum lumina clariſſima & maxima eo magis, quantum illa ferebat ætas, hujus animum illuſtrarunt, quo propius ad eum ipſa ſanguinis cognatione accedebat. Vidit præterea, & habuit graviſſimum auctorem adjutoremque conſiliorum ſuorum Petrum Cardinalem Otthobonum, qui illo eodem e ludo eam mentem abſtulit atque ſapientiam, ut divinum Patrui ſui ingenium penitus hauſiſſe videatur. Atque ut a domeſticis ejus Præceptoribus diſcedamus; qualem palæſtram fuiſſe ducimus illam ipſam urbem, in qua tot annos non alia de cauſa fuit, niſi ut alieno periculo ea cognoſceret, quorum ope difficillima quæque imperia recte ſapienterque adminiſtrantur? Cum enim ad Eccleſiaſticam militiam divinitus vocaretur, quindecim annos natus Romam commi-

migravit, ut in illo domicilio imperii & gloriæ docilem animum fingeret ad veram laudem, & multa non modo audiendo, ſed videndo etiam experiendoque, ſe idoneum redderet, qui aliquando e privato pulvere evocatus, quaſi exercitatus miles in publica arena cum laude conſiſteret. Hinc ab eo tirocinio, cum primum per ætatem licuit, in aciem productus, eoſque magiſtratus, quibus optimi quique Præſules ornari ſolent, gradatim ſingulos aſſecutus, ſe in magna illa omnium fere nationum luce ita geſſit, ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium cognoſcerent. Sed illi quidem, quantæ fruges induſtriæ futuræ eſſent, tamquam in florentibus herbis deprehenderunt. Quonam vero Superum beneficio factum eſſe dicamus, ut, cum alii ſegetem matureſcentem aſpicerent, tamen ipſa meſſis nobis reſervaretur, tantorumque ſuppeteret copia fructuum, quantos illa pulcherrima virtutum ſemina pollicentur? Noſtri ſunt enim ii quaſi ſurculi, qui in alieno ſolo feliciſſime ſuccreverunt; nobiſque prodeſſe debent illæ fruges, in quibus colendis peritiſſimorum artificum laboravit induſtria. Nimirum illa prudentia, Auditores, illa magnitudo animi, liberalitas,

vigilantia, illæ, inquam, virtutes jampridem ſpectatæ & cognitæ, tandem in hanc urbem illatæ, totæ noſtris commodis adjiciuntur. Hic vero quale de ſe ſpectaculum edituræ ſunt, in oculis Patriæ tamquam in regno ſuo collocatæ, ubi clariſſimi Viri eadem ex ſtirpe, alius aliter, tantopere floruerunt? Quid ille tuus, Præſul Illuſtriſſime & Reverendiſſime, tuus ille, inquam, tam præſtans animus & gloriæ cupidus quid molietur, quantoque acrius ad veram laudem virtutemque exardeſcet, ubi, circumferens tantiſper oculos, te inter pulcherrima tuorum decora verſari intelliges, earumque virtutum veſtigia cernes, quæ Minotta Domus in hac Republica in primis nobilis, non ad exigui prædicationem temporis, ſed ad memoriam poſterorum ſempiternam reliquit? Non eſt hic locus, ut tuos tibi Majores recenſeam, qui patrios magiſtratus, & Venetum nomen rebus præclare geſtis domi foriſque illuſtrarunt. Sed tamen, ſi quis tibi hoc tempore ex tua familia ante oculos ponendus eſt, Marinum pono Epidauri Epiſcopum, qui in Illyrico, in Epiro, & in Macedonia collabentem Catholicam fidem & religionem cum ſummo Eccleſiæ emolumen-

mento & bono publico confirmavit. Hieronymum pono, qui ad Conſtantinum ultimum Græcorum Imperatorem Orator miſſus, cum a Turcis capta Conſtantinopoli ab Orthodoxa fide blanditiis & minis avocaretur, ſe una cum Georgio filio in acerbiſſimos cruciatus dari maluit, quam a propoſito dimoveri. Demetrium pono, qui Theſſalonicæ, cum a ſuperſtitione ad veram pietatem religionemque plures perduceret, id aſſecutus eſt, ut lanceis confoſſus, Sanctorum Martyrum faſtis adſcriberetur, & pulcherrimam ſuæ poſteritati memoriam relinqueret, quod eam non modo Patriæ monumentis, ſed etiam Eccleſiæ annalibus commendarit. Age igitur ſuſtine tantorum nominum gloriam; ſuſtine illam expectationem, quam tua de te diſciplina, & anteacta vita movit; & in ipſo virtutis quaſi domicilio nutritus, ac deinde ſumma cum laude in multarum magnarumque rerum procuratione verſatus, eo tandem animo hanc Provinciam capeſſe, ut exiſtimes, nunc demum oblatum eſſe tempus, quo Majorum tuorum exempla excelſo in loco poſitus aſſequaris. Jam omnes civium Ordines, omnes Societates, omnia Collegia in hanc maximam, &, quemadmodum con-

fidimus, veriſſimam ſpem adducta in te uno acquieſcunt; te ſacrorum præſidem, religionis cuſtodem, pietatis aſſertorem intuentur; tibi ſtudium, obſervantiam, benevolentiam, Paſtori, Patrono, Parenti ſuo pollicentur ac deferunt. Atque alii quidem partim privato officio, partim publica gratulatione ſuam erga te voluntatem ſignificarunt. Nos vero, quamquam hac ipſa, qualiſcumque fuerit, certe minime exaggerata oratione ſtudium noſtrum tibi eſſe teſtatum volumus, tamen optimam ejus partem noſtris animis continemus; quam ubi experiri voles, intelliges planeque ſenties, malle nos tuam benevolentiam re, quam verbis demereri.

EPI-

EPISTOLA

Præpoſita primæ editioni hujus Orationis.

Ad Illuſtriſs. & Reverendiſs.

JOANNEM ARCHIEPISC. MINOTTO-OTTHOBONUM EPISC. PATAV.

QUÆ paucis abhinc diebus in S. Theologorum Collegio coram te, PRÆSUL AMPLISSIME, ac de te ipſo dicere conatus ſum; ea nunc typis impreſſa, auſus fortaſſe majus quiddam, quam pudor meus pati debeat, tibi rurſus exhibeo. Quid enim Oratiunculam hanc, tuum nomen, merita, virtutes, honores denique tuos complectentem, ad alium potius, quam ad quem maxime ſpectat, ire velim? Itaque munuſculum hoc, quod jam tum cœpit eſſe tuum, cum illud procuderem, nunc demum, qualecumque ex imperiti artificis officina exierit, tibi eidem non quidem offero, ſed remitto. Quæ ſi cauſa audendi non eſſet;

mi-

mibique per eam obſervantiam, quam Theologus Theologorum Capiti, Seminarii Alumnus Patrono Seminarii maximam debeo, abſtinere publico liceret; mallem profecto in iis latebris delitefcere, quas ſemper antea ſtudioſiſſime quærendas duxi, quam in lucem prodire ejuſmodi lucubratione, quæ ingenii mei tenuitatem paucis cognitam latius manifeſtet. Sed jam in dubiam famæ exiſtimationiſque aleam ivimus, cum in magna litteratiſſimorum virorum frequentia Orationem hanc pronuntiavimus; ut nemo magnopere mirari debeat, ſi paullo majore cum periculo exiſtimationem meam rurſus in diſcrimen adduco, ut ſerviam tuæ. Quamquam, quod ad te attinet, hoc ipſum ita exequor, tantaque religione ſermonem meum ad modeſtiam tuam moderationemque compono, ut verear interdum, ne tuas laudes deterere potius videar, quam ita, ut mei officii ratio poſtulat, celebrare. Sed iſtud viderint ceteri. Tu certe hanc Orationem, meæ erga te voluntatis & obſervantiæ quaſi pignus, tanto æquiore animo excipies, quanto magis abeſt ab adulatione. Immo, ut majorem eidem adjungas fidem, fac demum advertas, laudes tuas non ab Oratore, ſed a Theologo prædicari. Vale.

IN

IN FUNERE

Illuſtriſsimi & Reverendiſsimi

JOANNIS ARCHIEPISC. MINOTTO-OTTHOBONI EPISCOPI PATAVINI

ORATIO XV.

Habita in Æde Cathedrali Pridie Idus Decembr. An. MDCCXLII.

QUi duodecim circiter abhinc annis Joannem Archiepiſcopum Minotto-Otthobonum ad ſplendidiſſimam hanc Epiſcopalem Cathedram Patavinam ingenti totius Civitatis lætitia accedentem publica gratulatione ſum proſecutus; nihil minus accidiſſe vellem, quam ut idem ego eumdem Antiſtitem tanto cum mœrore bonorum omnium nobis jam ereptum funebri oratione proſequi cogerer, & illam minime falſam gaudii ſignificationem hac tam acer-

acerba comploratione contaminare. Egone ; cum ex edito loco fauſta & felicia enuntiarem, & Superis rerum noſtrarum moderatoribus gratias agerem, quod huic Epiſcopo talem Eccleſiam, huic Eccleſiæ talem Epiſcopum commendaſſent; ego, inquam, futurum putarem, ut in publicam lucem rurſum productus lugubres nænias inſtituere deberem, & mœrentibus Patavinis Civibus eum jacentem oſtendere, quem viribus & ætate florentem tamquam certiſſimum pignus futuræ pacis, incolumitatis, otii, felicitatis antea oſtendiſſem? Itaque hæc concio, hoc ſuggeſtum, hic locus tanto ſqualore & luctu contaminatus, cuinam magis fugiendus fuerat, quam mihi? qui, quocumque convertam oculos, tale quiddam undique offerri videam, quod meum animum tanto atrocius excruciet, quanto ſuaviore antea voluptate perfudit. Poſſumne, principem hujus Eccleſiæ partem, Capitulum intueri, quin præteritæ illius fauſtiſſimæ lucis memoria augeat acerbitatem hujuſce temporis, & mihi ab jucundiſſimo illo gratulationis officio ad hoc tam lugubre & luctuoſum deſcendere incipienti vocem ipſam pæne intercludat? Quid porro aliud quam latebras & ſilen-

ſilentium mihi ſuadere videntur hi, qui ex omnibus collecti ordinibus ad funeri juſta ſolvenda adſunt frequentes Viri? quorum alii ſacrorum præſidem, alii religionis cuſtodem, alii fortunarum ſuarum auſpicem & auctorem, omnes Parentem optimum & amantiſſimum repetunt; quos quidem quanto mihi olim facilius fuit ad lætitiam erigere & bonam ſpem, quam a mœrore nunc revocare? Quod ſi, quamquam tot tamque gravibus cauſis ab hac tam funeſta provincia me prohibentibus, tamen depoſcitur oratio mea; ingratus profecto ſim, ſi, cum illas gratulationis partes magna voluntate ſuſceperim, has miſerationis & luctus, quas pietas ipſa & charitas mihi imponit, detrectandas putem. Tollam igitur onus, qualecumque hoc ſit, meis certe humeris, præſertim in tanta anguſtia temporis, curaque animi tanta, maxime formidandum; & feram, ſi potero, ea contentione & conſtantia, ut omnes intelligant, ſummum ſtudium, obſervantiam, venerationem, quam ego Archiepiſcopo Joanni Minotto-Otthobono Epiſcopo Patavino florentiſſimis temporibus publice detuli, eo jam extincto non refrixiſſe; & concordibus animis fateantur,

il-

illam maximam ſpem, quam de optima & feliciſſima hujus Epiſcopi adminiſtratione tunc concipiendam curavi, nunc demum exacto ejus vitæ curriculo ratam penitus inveniri.

Qualem igitur hujus Eccleſiæ ſtatum ſub hoc Antiſtite jam inde a principio futurum ſperavimus? Qualem porro per hoſce duodecim & amplius annos experti ſumus? Hærebamus, ut meminiſtis, attoniti ob recentem memoriam illius acerbiſſimi caſus, qui Joannem Franciſcum Cardinalem Barbadicum nobis nihil tale metuentibus pæne ſubito eripuit; cum hæc repente totam urbem fama pervaſit, Nos habere Pontificem; Patavina Sacra & Sacrorum Miniſtros in fidem ac poteſtatem Joannis Archiepiſcopi Minotto-Otthoboni jam conceſſiſſe. Erigi tam læto nuntio omnium animi, lacrimiſque deterſis, alii aliis mutuo gratulari, teſtarique unuſquiſque, eſſe Patavinam Eccleſiam Superis maxime charam, qui tam brevi temporis intervallo eum Moderatorem dediſſent, quem ad recentis jacturæ dolorem leniendum, & ad priſtinam felicitatem reſtituendam apprime compoſitum, multis iiſdemque graviſſimis argumentis publica famæ vox prædicaret. Venire enim eum Roma, unde petenda ſint ve-

riſ-

riſſima documenta ad eas laudes, quibus Eccleſiaſticæ Curationes maxime commendantur; in eaque urbe jam inde ab adoleſcentia educatum, hauſiſſe præclara exempla virtutum, quæ mox in hanc ſuam Provinciam transferret. Vidiſſe, etiamſi externa exempla non quæreret, univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ clavum regentem Alexandrum VIII. & ex illo maximarum omnium virtutum uberrimo quaſi fonte non potuiſſe non derivari magnam civilis prudentiæ vim in eum, qui ipſa ſanguinis cognatione ad talem tantumque Pontificem acceſſiſſet. Itaque recreari omnes, nec ſibi prorſus ereptos putare Cornelios illos & Barbadicos, qui plurimorum annorum ſpatio huic eidem Provinciæ cum ſumma omnium admiratione & plauſu præfuere. Reditura jam ſub hoc Præſule illa eadem aurea ſæcula, & reducem ſtatim fore illam pacem, otium, incolumitatem, quam illi Principes optimi, & nunquam ſine honore appellandi, ſumma contentione & cura, qua averruncandis vitiis, qua virtutibus inſerendis, ſtatuiſſent. Quid? An hæc ſpes, quam & vos privatim, & ego publice quondam prętuli, ullo unquam tempore nos fefellit? An Minotto-Otthobonus

Pa-

Patavinam Eccleſiam magis tranquillam & quietam; meliore diſciplina florentem; aptioribus Miniſtris inſtructam; ſanctioribus edictis & legibus temperatam accepit a Deceſſoribus, quam ipſe Succeſſori ſuo nunc relinquit? Recolite tantiſper animo ſuperiorum memoriam temporum, & per ſingula hujus Eccleſiæ membra tacite diſcurrentes, præterita cum præſentibus æqua lance perpendite. Quænam ætas tam candida unquam affulſit Patavinæ Diœceſi, qua ætate Sacra curata fuerint attentius; pietas melius cum doctrina conſenſerit; honeſtas morum & elegantia emicuerit ornatius; Eccleſiaſtica denique diſciplina graviorem formam & ſeveriorem ſpectantium oculis exhibuerit? Magnum profecto, atque adeo pæne infinitum illud eſt, Auditores, quod nos debemus illorum induſtriæ, qui primi hunc fundum arando quodammodo ſubigendoque ad iſtam, quam nunc videmus, tantam fertilitatem ubertatemque redigendum curarunt. Sed ſi illi valde laudandi ſunt, qui ſemina jecerint; is, qui eadem aluerit, qui foverit, qui recreaverit, qui ab omni labe, ab injuria, ab noxæ demum cujuſque non ſolum periculo, ſed etiam ſuſpicione defenderit, exiguam

lau-

laudem expectet? Quantum iſtud momentum eſt, quamque validum ad memoriam nominis in omnes poſteros propagandam, geſtam fuiſſe hanc Provinciam a Minotto-Otthobono poſt illa clariſſima lumina & ſplendidiſſima, Cornelios & Barbadicos; ac porro ita geſtam, ut eadem ubique veteris illius juſtitiæ, diſciplinæ, religionis forma atque dignitas efflorеſceret, & Sacra atque profana omnia ei concredita ita ſemper compoſita invenirentur, ut dubitari nunc demum poſſit, utrum Patavinæ Diœceſi magis profuerint illi, qui tot ei atque tanta adjumenta & præſidia compararunt, an hic, qui comparata jam divineque inſtituta, fideliſſime integerrimeque ſervavit? Huc, Auditores, referebantur Joannis conſilia; ejus contentiones & curæ huc præcipue ſpectabant; quæ quidem ne fraudarentur ſua ſpe, mirum, quam validis & idoneis præſidiis eas ſapienter munierit! Quos enim & quales Viros, quanta prudentia, gravitate, doctrina præſtantes, in curarum ſuarum Vicariam procurationem vocavit! quid poſtulans aliud, niſi ut regimen ſuum eo facilius exigeret ad Deceſſorum exempla, quo diligentius adjutoribus his uteretur, qui non modo verbis ea com-

R men-

mendare ſibi graviter poſſent, ſed moribus etiam & diſciplina egregiam quamdam & admirabilem in ſeipſis expreſſam eorum imaginem exhibere? Quos porro Agricolas, quam ſedulos, quam peritos tamquam providus Paterfamilias miſit paſſim in vineam ſuam! adeo cautus in præcavendo, ne mitterentur niſi digniſſimi, ut fere nunquam deligere conſueverit niſi eos, quos prævia approbatione & conſenſu pæne univerſa Civitas delegiſſet. Mittebat igitur alios alio; ſed ipſe interim ad clavum ſedens regebat omnes continebatque in officio non tam legum ſuarum auctoritate, quam illa inſigni pietate ſua, integritate morum, innocentia vitæ, quæ omnium animos, quicumque in illam intuebantur, magna admiratione complevit; compleviſſetque etiam majore, ſi tot nobis & tam ſimilia Deceſſorum exempla ante oculos non fuiſſent. Jam hac pietate inſtructus, obire ſedulo ſuam Provinciam; inviſere ſacras Ædes; inquirere in earum Miniſtros; numquid a Sacrorum Canonum regulis, a Provincialium Synodorum conſtitutionibus, a more Majorum, a veteri denique diſciplina diſcederet, explorare. Quinam locus eſt in tam vaſta Diœceſi, in quo, quantum

tum in ipſo fuit, non reliquerit ad diuturnam memoriam impreſſa præclara veſtigia Paſtoralis ſollicitudinis? cujus ardor utinam per valetudinem eo, quo cupiebat, pertingere potuiſſet, & illam eximiam, & ad omnium commoda paratiſſimam voluntatem vires corporis magis firmæ adjuviſſent. Quamquam quinam angulus tam abditus, tam remotus, quo, cum pervadere ſua præſentia ipſe non poſſet, ſaltem ſuis litteris, decretis, legibus non penetrarit? Perſonant in tota hac Provincia (atque utinam etiam eo defuncto perſonent quam diutiſſime) illa Edicta, quæ ad Patavini Gregis utilitatem alia aliis temporibus promulgavit, adeo plena ejus pietatis, cujus ardore flagrabat, ut vel hoc uno argumento ſatis ſcire poſſemus, quanta ſecuritate animarum noſtrarum cura in ejus fide ac tutela conquieſceret. O nos igitur, dum Tu viveres, fortunatos! O Tua tempora plane digna, quæ cum grata recordatione uſurpentur in poſterum, & in optimis ac feliciſſimis numerentur! Vidimus hac ætate exquiſitis coloribus adumbratam Majorum imaginem; vidimus ad vivum expreſſam illam formam imperii ſplendidam & excellentem, quam ſuſpeximus jam, cum

regnarent illi a me antea ſæpe laudati Principes Eminentiſſimi. Hoc unum, Purpuram nempe, cujus ſplendore illorum dignitas reddebatur auguſtior, hac ætate non vidimus. Quamquam, ut hoc deſiderium poſſet a nobis facilius ferri; vidimus ipſam Epiſcopi dignitatem cinctam undique & ſeptam tanto decore, majeſtate, magnificentia, ut oculi noſtri Purpuræ honorem & ornamentum ei deeſſe vix ſcirent. Qualem igitur & quantum Antiſtitem, Auditores, amiſimus! Quantum rebus noſtris præſidium, quantum patrocinium pietati, quantum adminiculum indigentiæ, quantum virtuti adjumentum, quantum huic Civitati lumen & decus ereptum eſt! Amiſiſtis, Nobiles & Reverendiſſimi Viri, Præſulem ſtudioſiſſimum veſtri Ordinis, & ſuam auctoritatem cum veſtra tam ſuaviter conciliantem, ut in tanta Poteſtatis affinitate, nunquam tamen contigerit nec diſcrepare conſilia, nec jura turbari. Amiſit Patavina Diœceſis Paſtorem optimum & amantiſſimum; cuſtodem acerrimum diſciplinæ; moderatorem ſtudioſiſſimum pacis; judicem in puniendo mitiſſimum, in benefaciendo tam liberalem, ut nihil ſoleret dolere frequentius, quam ſe ſatis largi-

ter

ter ſuorum merita remunerari non poſſe. Seminarium vero, Diœceſis pars non exigua, qualem Præſidem, Patronum, Parentem, amiſit! ſub cujus auſpiciis crevit ad inuſitatam Alumnorum frequentiam; cujus amorem, ſollicitudinem, liberalitatem luculenter oſtendunt ſtipendia Magiſtris decreta, Convictoribus aucta annona, Bibliothecæ additus eximius ſplendor & ornamentum. Impedior dolore & lacrimis, ne plura dicam. Videmus, o Patavina Civitas, qualem Pontificem amiſerimus; qualem habituri ſimus in poſterum, non videmus.

EPISTOLA

Præpoſita primæ editioni hujus Orationis

AD

ANDREAM SENATOREM ET ALOYSIUM FRATRES MINOTTOS PATR. VENET.

A*Rduum opus, & cuivis ingenio pertimeſcendum, auctoribus vobis, Ampliſſimi Viri, nudius tertius ſuſcepi. Eum enim Virum triduo laudandum ſuſcepi, quem pro ſua dignitate ne tota quidem vita ſatis apte laudarim. Evaſi ex his ſcopulis, & hanc Laudationem in funere Fratris veſtri Joannis Archiepiſcopi Minotto-Otthoboni Epiſcopi Patavini in magna frequentia pronuntiavi eo ſucceſſu, quem pro mearum virium infirmitate vix ſperandum puta-*

ta.

Digitized by Google

tabam. Hoc enim ipſum in laude pono, quod in opere tam difficili; tamque raptim trepideque confecto, non plane diſplicuerim. Certe (qui fructus mihi eſt optatiſſimus) viſus ſum abſuiſſe ab eo vitio, quod ſolet eſſe in Laudationibus frequentiſſimum, nempe ab adulatione. Cur autem ab ea non abeſſem, & amantiſſimum Fratrem veſtrum cumularem iis laudibus, quas ipſe pro ſua modeſtia ne vivus quidem libenter audiſſet? Ceterum qualem Fratrem vos amiſeritis, & cognoviſtis antea per voſmet ipſos, & cognoſcetis etiam ex me. Cauſæ, quibus dolorem jacturæ tantæ minuere poſſitis, vobis ſunt multæ; mihi hæc præcipue, quod amiſſo Patrono uno, eodem momento temporis invenio duos. Demigro enim in veſtram fidem, in cujus amplexum ſua ſponte me ducit Oratio hæc, quam tamquam pignus certiſſimum obſervantiæ meæ vobis trado. Valete.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A

Accii & Pacuvii judicium de tragœdia, cui nomen Atreus. 29
Adoleſcentium mentes mollius alendæ. 26
Amor ſui litterariæ reip. pernicioſiſſimus. 178 blandæ ejus inſidiæ. 179. 185. tollit judicium veri. 181. & ſeqq. edit alias funeſtas tragœdias. 187. & ſeqq. quonam modo ſanari poſſit. 195
Archimedis acerrima intentio. 66
Ariſtotelis eloquentia. 45. ingenium. 100. vigiliæ. 66. auctoritas apud Scholaſticos. 82. ejus caſtigatores. 83. ejus modeſtia in rebus divinis. 138
Artes communicant inter ſe. 158
Arti Oratoriæ idonea non ſunt, niſi ingenia fecunda. 20. & ſeqq.
Atheiſmus quorum Philoſophorum maxime proprius. 208

Bar-

B

BArbaries ex omnibus ſcholis exterminanda. 40. & ſeqq. plerisque inviſa. 43. 50
Beatorum inſulæ. 164
Benignum eſt, fateri, per quos profeceris. 100.

C

CArneadis commentatio aſſidua. *66.* contra Zenonem ſcripturus, helleboro ſe purgavit. 195
Carteſius ſimulat ſe ignarum Antiquitatis. *96.* accuſatur de repetundis. *97.* ejus ingenua confeſſio. *99*
Cebetis tabula paucis comprehenſa. 208
Cicero periciſſimus Græcæ linguæ. *9.* mirifice deditus Philoſophiæ. 70. ab ea adjutus ad eloquentiam. 71. non ignarus aliarum artium. 148. plauſus ei datus adoleſcenti. 25.
Cognitio ſui Litterato maxime neceſſaria. 215 & ſeqq. litterarum ope facile acquiritur. 219. & ſeqq. non acquiſita, funeſtos exitus habet. 223. & ſeqq.

Concilii Tridentini præclarum de litteris judicium. 213
Cynici liberales artes contemnunt. 212

D

DElectus ſtudiorum habendus. 230
Democriti contentio. 65. oculis ſe privaſſe dicitur. 94
Demoſthenes aſſecutus eſt granditatem verborum lectitando Platonem. 70
Didymi Grammatici inanes conatus. 190

E

ELoquentia, copioſe loquens ſapientia eſt. 70. ad eam omnia promiſcue ingenia idonea non ſunt. 20. & ſeqq.
Eloquentia Scholaſtica commendatur. 37. & ſeqq. differt a populari. 52. quomodo comparetur. 51. ejus cura a Græcis & Latinis ſuſcepta. 45. nunquam impune neglecta. 48. 50
Encyclopædia amplectenda. 143. a quibus ingeniis. 146. quatenus. 151. 161. & ſeqq. quos fructus pariat. 153. & ſeqq.
Eruditio multiplex vana eſt. 163. & ſeqq.
la-

labores improbi ejus cauſa ſuſcepti. 163. 164. plerumque inanes. 166. & ſeqq.
Eruditionis diviſio in veram & falſam. 208. plures ad hanc, quam ad illam perveniunt. 208. & ſeqq.

F

FEcunda ingenia ad eloquentiam maxime idonea. 20. & ſeqq.
Finis verus litterarum. 202. & ſeqq. ſimulatus & falſus. 210. & ſeqq.

H

HÆreſes a Philoſophia derivatæ. 138. & ſeqq.
Helluones librorum. 168
Hiſtoriæ prima lex quænam ſit. 189

I

INgenium præſtans multa complecti debet 143. & ſeqq. nimis multa non debet. 161. & ſeqq.
Ingenia ad Oratoriam artem idonea quænam ſint. 20. & ſeqq. eorum non pauciores pæ-
ne

ne quam corporum formæ. 22. delectus habendus eſt. 35
Iſocratis Panegyricus. 27

L

LAcedæmonii litterarum oſores. 228
Latinæ linguæ varia fortuna. 5. ejus præſtantia. 7. difficultas. 12. neceſſitas. 14. & ſeqq. ejus inſtauratores. 41
Latinitas nulli Genti magis commendata, quam Italæ. 8. & ſeqq. omnibus grata eſt. 17. 42.
Lectio quomodo inſtituenda. 168
Litteratus vere dici nemo poteſt, niſi probus vir. 197. & ſeqq.
Litterati quibus præcipue vitiis obnoxii ſint. 199. 206. quænam eorum vita. 200. quanta hominum opinio de eorum virtute. 204. iidem multis ſuſpecti & inviſi. 228. a quibuſdam ejecti. ibid. Litteratorum concertationes, Apologiæ, Criticæ abſurdæ. 192. 211

M

MAturitas ingeniorum ne feſtinet. 29
Meſſenii Philoſophos ejecerunt. 228

Mo-

Moderatio ingeniorum minime negligenda. 161. & ſeqq.
Modus, ut in vita, ſic in ſermone optimus. 54
Multiſcii irriſi. 167. 171
Multum legendum, non multa. 153
Mureti ingenua de ſe confeſſio. 154
Muſæ Cupidinis illecebris non irretitæ. 200

N

Natura optima ſtudiorum moderatrix. 33. ea repugnante, nihil faciendum. 35
Naturæ arcana perquirere marte ſuo, difficillimum. 93
Nauſea ſæpe magis nocet, quam fames. 177
Ne quid nimis. 145
Noſce teipſum. 217. & ſeqq.

O

Oratores tolerabiles multi, pauci probabiles. 22
Ornatus qualis eſſe debeat. 53. in eo magis offendit nimium, quam parum. 55. eum vigor & robur conſequi debet. 62, & ſeqq.

Pe-

P

PEricles, Anaxagoræ Phyſici auditor. 70
Philautia. Vide Amor ſui.
Philoſophia multum confert ad eloquentiam. 70.
Philoſophi veteres a Junioribus injuria repre-henſi. 92. optime de nobis meriti. 100. multa iis condonanda. 101. experimentis non magnopere delectati ſunt. 102
Philoſophi juniores novam methodum invexe-runt. 103. rerum naturalium ſcientiam locupletarunt. 83. 103. & ſeqq.
Platonis elegantia. 45. labores. 65. meri-ta. 100
Prudentia indiſerta, quam ſtultitia loquax, præoptanda eſt. 72
Pythagoræ peregrinationes. 65. Bovem Mu-ſis immolaſſe dicitur. 68

Q

QUæſtiones inanes Theologorum. 133

R

Res in Philoſophia ſpectatur, non verba penduntur. 63
Romani Philoſophos & Rhetores ejecerunt. 229.

S

Sapientiæ magna pars eſt, quædam neſcire. 134
Scholaſtici male de Latinitate meriti. 6
Scientia veri difficillima. 75. labores ejus cauſa ſuſcepti. 65. 66
Scientia profana a ſacra non ſejungenda. 121.
SS. Patres eam adamarunt. 120
Secta Philoſophorum nulla præcipue eligenda. 73. & ſeqq.
Senſus ſunt duces primi ad omnem veritatem. 102
Sphingis ænigmata. 225
Sterilia nullo labore vincuntur. 31

T

Theologia Scholaſtica unde dicta. 111. ejus præſtantia. 112. & ſeqq. neceſſitas. 115.

115. vitia. 128. 133
Theologiæ quænam artes affines. 155
Theologi Dogmatici in quo vincantur a Scholaſticis. 117. & ſeqq. in quo eos vincant, 130. & ſeqq.
Theologus perfectus nemo eſſe poteſt ſine Philoſophia. 106.& ſeqq. quatenus liceat Theologo philoſophari. 124. & ſeqq. funeſtus eorum exitus, qui modum non ſervant. 135. & ſeqq. graves ea de re SS. Patrum querelæ. 140

V

Vaniloquentia Scholaſtica coercenda. 56. & ſeqq.
Ubertatis facile remedium. 31
Ubertas & ſilva dicendi unde proficiſcatur. 70.
Verborum cura, rerum debet eſſe ſollicitudo. 58
Verborum cauſa nihil faciendum. 60
Veritas per Philoſophos & Sectas diviſa eſt. 89.
Vita & doctrina diſcrepare non debent. 231

Zeu-

Z

Zeuxis Agatharchum de pingendi celeritate ſuperbientem falſe reprehendit. 28
Zenonis invicta conſtantia. *66*. ejus illiberale judicium de liberali doctrina. 212

Digitized by Google

INDEX

ORATIONUM.

Or. I.	*De Lingua Latina.*	1
II.	*De Arte Oratoria.*	20
III.	*De Eloquentia Scholaſtica.*	37
IV.	*De Vaniloquentia Scholaſtica.*	56
V.	*De Sectis Philoſophorum.*	73
VI.	*De Philoſophandi ratione.*	90
VII.	*De Theologia Scholaſtica.*	106
VIII.	*De Theologia Dogmatica.*	124
IX.	*De Encyclopædia.*	143
X.	*De Ingenii moderatione.*	161
XI.	*De Philautia.*	178
XII.	*De vero litterarum fine.*	197
XIII.	*De Cognitione ſui.*	215
XIV.	*Ad Joannem Archiepiſc. Minotto-Ottobonum Epiſc. Patav.*	233
XV.	*In ejuſdem funere.*	251

FINIS.

5
9
2:3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005662047

Digitized by Google

VB